EMAN. SWEDENBORGII,

SACRAE REGIAE MAJESTATIS REGNIQUE SUECIAE
COLLEGII METALLICI ASSESSORIS

REGNUM ANIMALE

ANATOMICE, PHYSICE ET PHILOSOPHICE
PERLUSTRATUM.

CUJUS

PARS SEPTIMA

DE ANIMA

AGIT.

E CHIROGRAPHO EJUS

IN BIBLIOTHECA REGIAE ACADEMIAE HOLMIENSIS
ASSERVATO

NUNC PRIMUM EDIDIT

Dr. JO. FR. IM. TAFEL,

PHILOSOPHIAE PROFESSOR ET REGIAE BIBLIOTHECAE UNIVERSITATIS
TUBINGENSIS PRAEFECTUS.

TUBINGAE

CURAM ADMINISTRAT „Verlagsexpedition;"

LONDINI,

WILLIAM NEWBERY, 6, KING STREET, HOLBORN;

H. BALLIERE, 219. REGENT STREET.

1849.

EMAN. SWEDENBORGII,

SACRAE REGIAE MAJESTATIS REGNIQUE SUECIAE COLLEGII METALLICI ASSESSORIS

OPUSCULUM DE ANIMA.

E CHIROGRAPHO EJUS

IN BIBLIOTHECA REGIAE ACADEMIAE HOLMIENSIS ASSERVATO

NUNC PRIMUM EDIDIT

D^r JO. FR. IM. TAFEL,

PHILOSOPHIAE PROFESSOR ET REGIAE BIBLIOTHECAE UNIVERSITATIS TUBINGENSIS PRAEFECTUS.

TUBINGAE

CURAM ADMINISTRAT „Verlagsexpedition;"

LONDINI,

WILLIAM NEWBERY, 6, KING STREET, HOLBORN;

H. BALLIERE, 219. REGENT STREET.

1849.

PRAEFATIUNCULA EDITORIS.

Hujus quoque *) *operis posthumi autographum, cum duobus aliis* **) *a Regia Academia Holmiensi anno* 1848 *liberalissime nobis communicatum, jam descriptum est a doctissimo ejus Bibliothecae Praefecto, qui inter alia dicit:* ***) „*This* „*book, which is in Swedenborg's own hand-writing, contains* „130 *leaves, fol. max. On the back it has the title, (prin-* „*ted by the binder,)* „„*Physiologica et Metaphysi-* „*ca,*"" *and it bears the same title also in the old manuscript* „*catalogue of our library. . . . Fol.* 110 *is wanting, which*

*) De aliis jam prius editis videas Praefationes nostras ad Eman. Swedenborgii Diarium spirituale P. I, 1. Tubingae 1844. ad P. IV. Tub. 1845. et ad ipsius Adversaria in libros Veteris Testamenti, P. I, 1. Tub. 1847.

**) Unum, quod jam edidimus sub titulo: „Eman. Swedenborgii ... Regnum animale ... cujus Pars IV. de carotidibus, de sensu olfactus, auditus et visus, de sensatione et affectione in genere, ac de intellectu et ejus operatione agit. Tub. 1848;" alterum de Periosteo, de mammis, etc., ut et de Generatione, constituet hujus operis Partem VI.

***) Vide The Economy of the animal kingdom, considered anatomically, physically, and philosophically. By Eman. Swedenborg, translated from the latin by the Rev. Augustus Clissold, M. A. Vol. II. London 1846. p. 423: „Appendix. Swedenborg's physiological Manuscripts in the Library of the Royal Academy of Sciences of Stockholm. Memoir the second. By Dr. P. E. Swedbom, Librarian to the Royal Academy of Sciences of Stockholm, Ph. D. A. M."

« *makes it doubtful whether this Dissertation on the State of* « *the Soul, etc., is complete, or not. For the same reason the* « *heading and beginning of the next Dissertation, which is* « *contained on fol.* 111, 112. (*pp.* IV.) *are wanting. . . . The* « *remainder of this book, from fol.* 118 — 127, (*pp.* XX.) *is* « *occupied by a Dissertation which has the title* « « *Ontolo-* « *gy* » » *prefixed to it at the head of fol.* 118. *From the com-* « *mencement of this Dissertation, certain subjects are conside-* « *red in general, and are afterwards treated severally under* « *various heads. . . . As for the manner of treatment, the opi-* « *nions of Wolf, Baron, and others, are for the most part* « *stated first, and the author's own opinion then given, or* « *at least intimated. But, like many other things contained* « *in Swedenborg's Mss., this Ontology is not complete, being* « *only a sketch, which the author proposed to develop after-* « *wards. The whole book is closely written, and in some* « *parts in a cramped hand, and will be difficult to read and* « *decipher.* »

Secundum vota Societatis nostrae, (*the Swedenborg Association, founded* 1845.) *quae horum trium operum patrona est, omisimus in praesens tractatum illum fol.* 118 — 127. *autographo annexum, qui Ontologia inscriptus est, et cujus capita sunt:* I. *Forma, causa formalis.* II. *Figura.* III. *Organum, Structura.* IV. *Status. Mutationes Status.* V. *Substantia.* VI. *Materia, Materiale.* VII. *Extensum, Extensio, Continuum, Contiguum, Pars.* VIII. *Corpus, Corporea.* [IX.] *Essentia. Essentialia.* [X.] *Attributum.* [XI.] *Praedicatum.* [XII.] *Subjectum.* [XIII.] *Affectio.* [XIV.] *Accidentia.* [XV.] *Contingentia.* [XVI.] *Modi, Modificatio.*

Inscripsimus non modo de Anima, sed etiam Regni animalis P. VII. *quia hujus operis est supplementum, et ipse author secundum Indicem illi praefixum acturus erat* « *P.* XVI. *De anima, ejusque statu in corpore, commercio, affectione, Immortalitate: Deque ejus statu post vitam corporis.* »

PRAEFATIUNCULA.

Constitui quocunque studio indagare quid anima, quid corpus, et quid utriusque commercium, tum qui animae status in corpore, et qui status post vitam corporis: sed quia finem, etiam media velle debui, dumque mentem intenderem, qua via progrediendum, ubi auspicandum, proinde quo currendum, ut ad metam; tandem deprehendi quod alius campus non detur, quam per anatomiam corporis ejus organici, ibi enim ipsa suos ludos exercet, et cursum peragit, quaerenda omnino est in ipso illo diversorio et hospitio, ubi ipsa est, seu in proprio ejus campo; haec causa fuit, quod omnium primo de sanguine et corde, tum de substantia corticali, et porro jam de singulis ejus organis et visceribus acturus sum; mox vero de cerebro, cerebello, medulla oblongata et spinali; his accinctus in via sum ulterius progrediendi; Ergo anatomiam hanc unice ob finem indagandae animae, percurri; si aliquem usum et orbi anatomico et medico praestiterim, id mihi gratum foret, verum si lucem inde praetulerim indagationi animae, adhuc gratius: Ipsum enim corpus cumprimis humanum, et singula ejus organa et membra tam mirifice concinnata sunt, ut *heic natura omnem suam artem et scientiam*, *quaecunque intime latet*, *contulerit et effuderit*, sic hinc si naturam in supremis et intimis indagare quis studet, singula haec percurrat, quoque diutius immoratur, et plura mirabilia, et arcana propalantur; quae si *Nestoris aetas triplex maneret*, usque supersunt propalanda: est quasi *abyssus*, nec nisi *stupor* remanet.

Ut itaque animam explorem, necessum est, ut involucra ista multiplicia evolvam, quae illam tanquam in centro quodam residentem ab oculis nostris removent; per viam analyticam eundum

est, seu per experientiam ad causas, per causas dein ad principia, id est, a posterioribus ad priora, talis non alia est nobis concessa via ad scientiam superiorum; ut ergo per hanc viam ad genuina principia emersi sumus, tunc primum via synthetica licet progredi, seu a priori ad posteriora, quae via est ipsius animae, in corpus suum agentis, est via angelica, tunc enim a priori seu primis omnia posteriora ut sibi subjecta vident: Ergo antequam a principiis, a priori, seu synthetice de anima loqui liceat, necessum est, ut per hanc humanam viam, seu analyticam, per posteriora, experientiam et effectus enitendum est; id est per scalam quae ad principia ista, seu ad coelum hoc nos ducit. Ergo ad animam scandere, non datur nisi per viam ejus organorum, per quam in corpus suum descendit, ascendere; ita non nisi quam per anatomiam ejus corporis.

Verum a corpore organico et materiali deinceps usque ad animam, seu ad essentiam spiritualem, quae etiam immaterialis est, non licuit transcendere, nisi explanarem aliquam viam, quae eo me duceret; quaré elucubrare debui novas quasdam doctrinas, scilicet doctrinam formarum, doctrinam ordinis et graduum, tum doctrinam correspondentiarum et repraesentationum, denique doctrinam modificationum, hactenus ignotas; quae comites sint et ductrices, sine quibus nequicquam transcensum hunc tentare possumus; de his agitur in 5 transactione seu in introductione nostra ad Psychologiam rationalem.

Sic demum licet de anima ex principiis seu synthetice agere: orbis Eruditus a primo aevo usque ad hoc tempus, ubi foetus conceptus excludi et nasci debet, ei jugi incubuit, ut ad genuina principia eniteremur, idcirco omnes scientiae tam philosophicae, quam physicae, idcirco omnis experientia, quae illustraret; huc collimavit universus orbis Eruditus, scilicet ut a principiis genuinis queat loqui, et de posterioribus synthetice agere, talis enim est perfectio angelica, talis est scientia coelestis, et prima naturalis, talis ideo est innata nobis ambitio; scilicet ut ad integritatem primi parentis enitamur, qui a priori conclusit omnia posteriora, et sic universam naturam non solum sub se vidit, sed etiam sibi subjectae imperavit: est enim eruditionis fastigium ex principiis effectus judicare; hinc quantum interest patet, ad principia vera eniti; quod nequicquam

fieri potest, nisi per viam posteriorem seu sensuum, experientiae, scientiarum et artium, quae humanae sunt, quatenus addiscendae, non autem animae, cui omnia haec insita sunt, et a se fluunt.

Verum via ab experientia per scientias tam omnes physicas quam omnes philosophicas ad priora et ad ipsa principia eniti, non solum est ardua, sed etiam spatiosissima, nec campus unus sed plures percurrendi sunt; aetates plures Nestoris requiruntur: perpetuo enim occurrunt illa, quae ipsam mentem confundunt, persuadentque ut sentiat siculi sensus ea ei objicit; tunc credit rem acu attigisse, quia secundum fidem sensuum loquitur; quae ratio tot hypothesium et errorum: imo talis est natura superior, ut eo magis a sensibus nostris abscondatur, quo magis sensus consulimus; caligat eo magis mens quo pluri copia radiorum heic confunditur: ipsi sensus sunt tanquam totidem tenebrae, sic ut ipsam quasi lucem visus et imaginationis fugere videatur, ut in tenebras has nos infundamus, quae eo quasi clariores fiunt, quo magis hos radios possumus discutere, est quasi alia sphaera luminis, lumen intelligentiae et visus se mutuo exstinguunt; quare etiam sapientiae lumen plerique non amamus, quia lumen imaginationis obfuscat; secundum hoc Platonis — — — —. Idcirco intensissimo studio incubui, ut transcendere ab uno in alterum potuissem; quapropter benevole Lector, si me usque illuc sequi digneris, credo quod appercipies quid anima, quale ei cum corpore commercium, et qui ejus status in corpore et post vitam corporis: verum via est ardua. Optassem ut comites non me in media via relinquant, sique relinquitis, precor tamen ut faveatis. Favebitis, si persuasi esse velitis, quod finis sit gloria Dei, et emolumentum publicum, et ne hilum pro proprio lucro aut laude.

Quod fibra simplex sit natura coelestis.

De vasorum sanguineorum successiva formatione a fibra simplici.

Fibra simplicissima est forma formarum, seu reliquarum fibrarum ordine succedentium formans.

Fibra simplicissima per circumfluxionem perpetuo spiralem quandam superficiem aut membranam efformat, quae est ipsa fibra secunda seu medullaris aut nervea corporis, quae pure est canaliculus ex fibra simplici constructus, sed una cum fluido isto quod permeat constituit fibram.

Haec fibra ideo quia descendit a priori, seu est prior ita convoluta nec est nisi mera fibra simplex, per fluxum spiralem seu perpetuo circularem fluit.

Haec fibra dum in corporis provincias delabitur, iterum glandulam quandam corticali non absimilem format, ex qua fibra corporea prodit, quae tuniculam format, quae vasa arteriosa proxime involvit.

Fibra iterum in majores arterias subit, et ibi similiter format glandulas, quae ex se fibras emittunt, ex quibus tunica musculosa exsurgit;

Ideo tunica nervea, glandulosa, tendinea, et musculosa cum membranea constituit arterias et venas, omnia et singula a fibris conformata.

Ita vas sanguineum descendit a fibra simplici per continuam derivationem.

Ideo vas arteriosum vocari potest fibra tertia, fibra medullaris secunda, et simplex prima.

Hoc etiam respectu vocari potest fibra prima vas primum, tum vas secundum, denique vas proprie dictum seu sanguineum.

Uti ipsa fluida quae percurrunt, essentia prima vitalis est sanguis supereminens, seu supremi gradus, quae fibrarum secundarum est sanguis medius vel purior, et quae arteriarum est sanguis proprie dictus vel ruber.

Ita est fibra simplex, essentia propria animalis forma formarum.

Quod nihil sit continui in toto corpore, seu quod tota ejus forma sit solum fibra simplex.

Omne quod continuum est in corpore seu essentialiter determinatum, id est formatum, est fibra simplex.

Nam nihil est in fibra medullari quam fibra simplex.

Nihil est in vase sanguineo quam fibra medullaris.

Nihil in toto corpore quod non sit ex vasis et fibris contextum.

Et quod non apparet ex illis contextum, ut tendines, cartilagines, ossa, usque ab iis principio contextum fuisse experientia dictat.

Sic nihil datur in universo corpore quam fibra simplex, quae sit tota ejus forma.

Nec ingreditur aliquid continuum, quod continuum et cohaerens est, nisi fibra simplex, quae est unicum substantiale continuum.

Si jam ulterius pergimus, si fibra simplex ex prima essentia animalis conflatur, sequitur quod nihil sit in tota forma animali, quod format illud quam ista essentia.

Fluida diversi generis, quae fibris medullaribus et vasis sanguineis insunt, ut sera, non constituunt formam, nam formae ex fibris constant, sed fluunt intra fibras et vasa.

Si essentia illa sit anima, sequitur quod ista sola sit quae est forma.

Quod fibra simplex sit naturae coelestis et quid corpus.

Quatenus jam quaelibet pars seu individuum substantiae primae sit formae coelestis, et correspondet substantiae coeli seu aurae primae ac universalissimae, sequitur quod nihil detur in fibra simplici quod non sit forma coelestis, quae unica a formis spiritualibus regitur.

Haec forma quia supra caeteras formas, ab illis nequaquam tangi, minus laedi potest, immunissima est ab omni injuria: pone compositum quid ex simplicibus constans, dic quomodo hoc compositum agere potest in suas simplices, remotissimum est, nec dependent ab illo.

— Ergo fibra non est terrestris secundum Aristotelem, sed naturae, essentiae et formae coelestis.

— Proinde est immortalis, nec perire potest, quia non tangi.

— Quod terrestre et corporeum est, non est fibra, sed

est illa pars sanguinis rubri et medii quae globulo insunt, et quae pro causa instrumentali inserviunt, ut queat sanguinis prima essentia per derivationem successivam serie descendere, et ultimo mundo interesse, verbo sanguines constituere, in quibus tamen regnat coelestis illa forma.

— Hoc est solum corporeum, ex quo corporatura sanguinis existit, nec quicquam ad formam contribuit, praeter quod percurrat istas fibras, et aptet ut inire formas queant.

— Haec pars seu hoc corporeum est mortale, et ad terram relabitur, solutis globulis sanguinum, nequaquam vero fibra, quae ex se diffluit, manente corpore, sub cadaveris specie.

X.

Paradoxa de fibra simplici.

XI.

De circulatione universali fluidorum corporis seu de circulo vitae.

XI. [a]

De sanguinis solutione et recompositione perpetua.

XII.

De morbis fibrarum.

XIII.

De morborum animi derivatione in morbos corporis et vice versa.

XIV.

De tunica arachnoidea.

Cap: XV.

Quod organa sensuum externa, ut auris et oculus, sint instrumenta modificationum aëris et

aetheris, et ipsae modificationes sint causae principales, quibus sic mediis organis sensationes prorsus correspondent.

Quod aurem attinet, est illa instrumentum recipiens modulationum aëris, nam recipit et sibi applicat omnem formam et modum virium alluentium: ita etiam oculus respective ad aetherem: auris in eo differt ab organo musico seu acustico, quod similiter ac recipit, etiam sonos a se dimittat et ulterius promoveat; ita etiam oculus ab organis opticis; est enim oculus tanquam camera obscura, quae transmissas imagines ab altero latere simillime repraesentat, non autem in alias species aliosque colores transmutat; sed modificationes non simpliciter ad retinam transeunt, sed etiam oculi fabricae determinationes essentiales ad similiter agendum excitant, ad minimum retinam, ex qua per nervum opticum idem visus ad sensorium commune propagatur; ita sensationes modificationibus prorsus correspondent. In gustu et olfactu similiter, forma enim externa partium, quae plerumque vel rotunda est, vel aculeata, afficit papillas linguae aut narium, tactulis illis, qui sunt innumeri, afficitur organum, unde similis sensus resultat.

Cap: XVI.

Quod fibrae sensoriae quae ad sensorium commune ducunt, prorsus formae modificationum alluentium et afficientium accommodatae sint: sic sensationes a mundo circumfluo per fibras in mundo animato usque ad animam sponte naturali fluunt.

Quaeritur qualis est forma modificationum aëris, et qualis est aetheris, ductrice experientia constat, quod modificationes formae non aliae queant esse, quam quae sunt formae partium; volumen enim ex partibus suis componitur, sint partes sunt modificabiles, similis natura in voluminis actuati volumen debet resultare, qualis est singulae partis, quae totidem sunt symbolae motus communis: forma modificationum aetheris est spiralis

seu perpetuo circularis, et forma modificationum aëris est simpliciter circularis, tales enim sunt formae externae partium, quod ab infinitis documentis potest demonstrari: quaeritur dein qualis est forma fluxionis fibrarum, in Transactione de fibris confirmatum est, quod forma fluxionis cujusvis fibrae compositae sit spiralis, et quod forma fluxionis plurium fibrarum simul sumtarum sit circularis, ita illa forma prorsus correspondet modificationi aetheris, et haec modificationi aëris. Forma autem aetheris superioris est vorticalis, quae correspondet formae substantiali glandulae spinalis, ita quando modificationes aurarum influunt in mundulum seu systema animale, simili natura continuant fluxum, nec determinationes earum essentiales mutantur.

XVII.

Quod sensationes ab organis externis ad organa interna tanquam a graviori in leviorem atmosphaeram seu ab inferiori in superiorem regionem ferantur.

Quae levia sunt a centro versus superficiem elevantur et emergunt, quae autem gravia ad centrum decidunt et fundum petunt, ita sensationes ab extimis ad intima seu ab infimis ad suprema enituntur, actiones vero ab intimis ad extima seu a supremis ad infima cadunt, ita sensationes cum levibus, et actiones cum gravibus componi queunt. Cerebrum corticale supremas et intimas tenet, nam eo usque pergere est sursum, ast abinde versus superficiem corporis est deorsum. Quod etiam cortex Cerebri levissimam corporis regionem occupet, etiam ab ipsis fibris earumque natura [constare] potest; fibrae fluidissimae sunt et mollissimae prope corticem seu ad primum earum exortum, remotius vero a cortice sunt duriores et quietiores; magisque veluti compressae, ideo ad puriorem regionem quando ad molliorem fibram assurgunt, et vicissim. Quae etiam est ratio quod nerveae seu fibrae sensoriae sint molliculae, motoriae autem duriusculae; et quod mollities secundum ascensum crescat.

XVIII.

Quod sensationes non ad speciales aliquas glandulas seu glandulares congeries in cerebro enitantur, sed ad universum corticem, adeo ut nulla sit glandula corticalis in toto cerebro, quae non cujusvis sensus ejusque minimi momenti et gradus et differentiae fiat particeps.

Id anatomia cerebri satis aperte declarat, nam unusquisque nervus et unaquaevis fibra, quando lacui medulloso cerebri immergitur, ita se cum omnibus vicinis commiscet, ut fere disparеant discrimina. Unus enim plexus continuo cum altero communicatur, inter quamlibet fibram, et inter quodvis vas et vicinum intercedit quaedam subtilis membrana, quae committit et pangit fibram fibrae et arteriam arteriae, stamina illa intercedentia in tractatione de fibra vocamus vascula fibrae aemula; his etiam interseruntur tenuissima licia ex pia matre decerpta; adeo ut constare queat, quod in cerebro, cerebello et utraque medulla nihil detur prorsus discontinuum et disjunctum, sensatio quae est subtilissima species tremiscentiae alicujus atmosphaerae non potest unam aut certas fibras usque ad suas origines premere, sed necessum est, ut vadat suum iter per omne id quod fibris continuum est, similiter ac tremiscentiae et vibrationes corporum duriorum; ex speciali inquisitione cujusvis fibrae sensoriae idem patescet, nervus enim opticus in thalamos nervorum opticorum se diffundens non potest non ad totum cerebri ambitum se effundere, nam fibrae ex toto ambitu cerebri eductae et in basi firmiori concentratae, se super thalamos nervorum opticorum conjiciunt, quorum fluxum si sensationes sequuntur non possunt quin in universa cerebri superficie terminentur; nervi olfactorii ex membrana pituitaria continuata ita se centro ovali seu globo medulloso cerebri immergunt, ut ex omnibus suas origines trahant, nam processus mammillares insufflati totam medullam cerebri expandunt: nervi acustici seu auditorii ex protuberantia annulari emergentes, se consociant omnibus fibris quae ex cerebro et quae ex cerebello emittuntur; ita etiam in

caeteris; quare similis ratio est sensationum qualis est modificationum, hae enim in minimo centro inceptae circumcirca in omnem peripheriam se diffundunt: ex his fluit quod nulla pars corticis non alluentis sensationis particeps et conscia reddatur.

XIX.

Quod sensatio in cortice cerebri distinctissima existat, cumprimis sensatio visus, perceptio et intellectio.

Ubi substantiae corticales distinctissimae sunt, et maxime expansae, ibi sensationes esse debent perfectiores et distinctiores; quod enim cerebrum sentiat, percipiat et intelligat, non item cerebellum, in causa est, quod glandulae corticales, totidem sensoriola interna, in statu sint distincte modos percipiendi: in utroque umbone, seu vertice cerebri, id est in lobo ejus supremo cortex distinctissime est divisus, nam infinitae rimae et lirae discriminant congeries, quibus mediis etiam cortex ad omnem modum expandi et intendi potest, ita ubi perfectior distinctio ibi perfectior sensatio; quae etiam est ratio quod omnes convolutiones corticis et anfractus se in eo concentrent, aut illuc continuo fluxu et nexu pergant. Id etiam animadvertitur tam in intuitionibus externis quam internis, dirigimus etiam nostras contemplationes versus hanc cerebri proram; quae etiam quando laeditur, etiam facultas acute videndi percipiendique ad gradum damni vacillat, uti ex singulis morbis capitis apparet. Ita sensatio quidem est cujusvis glandulae corticalis, sed perfectior in una parte quam in altera cerebri, in una enim est singularior et particularior secundum divisiones, in altera vero est communior, proinde etiam sensatio indistinctior et obscurior, ut in ultimis limbis cerebri, inque cerebello.

XX.

Quod nulla glandula corticalis in toto cerebro alteri absolute similis sit, proinde nec sensoriola, quae totidem sunt quot glandulae corti-

cales; sed quod varietas quaedam intercedat, quae tamen tam harmonica est, ut ne minima quidem differentia in sensationis alicujus modo detur, quae non perfectius in una glandula quam in altera percipiatur.

Quod glandularum corticalium, quae totidem sunt sensoriola interna, infinitae mutationes status tam essentiales quam accidentales dentur, id satis superque in Transactione de istis glandulis est demonstratum; sunt enim glandulae majores minoresque, duriores et molliores, pluribus paucioribusque fibris constantes, sunt quarum status constrictior et expansior est, quae pluribus et quae paucioribus associatae, sed omnem differentiam enumerare nimis prolixum foret; alius generis sunt glandulae corticales in cerebro, et alius in cerebello, ac iterum alius in medulla oblongata et spinali, alius etiam speciei sunt in ipso cerebro, in ejus vertice et in limbis, extus prope piam matrem et intus circa ventriculos; internae omnes sunt glandulae corticales, principia fibrarum, et sensoriola ac motoriola interna: ut jam cerebrum omnibus sensationibus vacet, et omnem differentiam sentiat, opus est ordine inter sua sensoriola, ordo iste omnino harmonicus debet esse, scilicet ut una glandula puriorem modum altera vero crassiorem capiat, et tamen una cum caeteris tanquam pars in toto suae sensationis symbolam conferat: hoc vocatur varietas harmonica, quae tam propria naturae est, ut illam merito naturam naturae mereatur appellare; talis varietas est in singulis fibris, in singulis musculis, in singulis partibus atmosphaerae, pariter enim imae atmosphaerae sunt magis compressae quam superiores, ita tamen ut inter omnes sit varietas quaedam harmonica: ita singularia ad communem et publicam rem suum contribuunt.

XXI.

Quod sensationes per totum cerebrum diffusae concipiendae sint tanquam spiraliter seu secundum formam circumvolutionis anfractus et substantiarum corticalium se circumsinuent: et quod

puriores sensationes per glandulam corticalem verticaliter se circumvolvant: proinde secundum ipsissimam formam substantialem organi sensorii.

Convolutiones glandularum corticalium in cerebro in formam perfectissimae spirae fluunt, et quia sensationes omne punctum, seu omnem fibram et omnem corticem cerebri stringunt, hinc sensationum similis circumvolutio et vertiginositas concipienda est, nam facilis tunc evadit earum fluxio et propagatio a partè in totum; modificatio similiter in quavis individua glandula corticali, cujus forma est perpetuo spiralis seu verticalis; omnis enim vis activa alicui substantiae organicae impressa secundum ejus formam exactissime fluit et determinatur; aliter enim fluere foret contra naturae ejus flumen et torrentem, seu contra poli ejus rotationem. Per similem etiam formam circumgyratur sensatio dum fibram suam pererrat, ideo etiam per similem quando a fibra sua emergit; similis etiam forma est fluxionis et atmosphaerae seu modificationum; ita sibi mutuo correspondent macrocosmus et microcosmus, et similes utrobique modos agunt. Talis etiam vertigo in organis externis aperte exstat, quando mens inebriata est, seu cerebrum simili morbo aut delirio affectum. Ex his patet quali consinuatione et circumgyratione peragitur sensatio intima seu intellectio; cujus fluxionis forma est coelestis; et sic porro.

XXII.

Quod harmonias et disharmonias sensationum ex nobis et naturaliter percipiamus.

Quod anima omne harmonicum et disharmonicum, quod in aliquo sensu occurrit, naturaliter apprehendat et [sibi] consciat, id a phaenomenis cujusvis sensus apparet: harmonia tactus in extima cute titillat, et risum excitat, harmonia gustus et olfactus ita adblanditur et indulget organis, ut jucunditatem, dulcedinem et appetitum creet; harmonia auditus ita mulcet aurem, ut dictis illico arrideat: harmonia visus similiter, unde

pulchritudo, formositas et delitiae: disharmoniae vero contrarium edunt effectum, illae enim contristant animum mentemque, et quendam horrorem, imo damnum inferunt, unde aversationes; in ipsa etiam imaginatione et cogitatione similis consensus veritatum, quae totidem sunt harmoniae, se natura dictatrice absque scientia et arte magistra prodit: inde fluit, quod illi quibus mens sanior est, et qui aliqua scientia imbuti, ipsas veritates naturales illico apprehendant, atque iis applaudant: quod autem ipsae veritates impugnentur, ex vitioso mentis eorum statu fluit; quod anima ad primum ictum harmonias et disharmonias imaginum et idearum percipiat, id admodum manifeste in brutis animalibus apparet, nam volucres ex se sciunt nidos suos ingeniose confabricare, escam sibi convenientissimam eligere, et contrarias aversari; aranea telam geometrice perfectissimam concinnare; ut taceam plura, quae effectus sunt perceptionis harmoniarum naturalis: imo ipsa organa ab harmonicis et jucundis non solum mulcentur, sed etiam restituuntur, a disharmonicis vero laeduntur; ratio est, quia anima est intelligentia pura, et sui microcosmi ordo et veritas: proinde cognitio ordinis et veritatis nobiscum connascitur, et raro condiscitur: aliter nec sensus queunt existere, nam ut sensus sit, erit harmonicum mixtum disharmonicis, ex differentia eorundem, nexu et situ, oritur sensatio; si ita ex veritatibus, fallaciis et mendaciis commixtis existit ratiocinatio, cogitatio, discursus, controversiae, opiniones; sine quibus paucissimus foret sermo, nec scholae, nec scientiae, et loculamenta Bibliothecarum vacua.

XXIII.

Quod in eodem organo sensorio intimo ultimum sensationum et primum actionum concurrat.

Glandula corticalis est ultima meta ubi sensationes terminantur, et primus carcer unde actiones erumpunt; fibrae enim tam sensoriae quam motoriae in glandulis istis inchoant et desinunt; sensationes ab extimis ad intima penetrant, actiones vero ab intimis ad extima excurrunt, ita glandula corticalis est tam sensoriolum quam motoriolum internum, et tam activa

quam passiva, uti sunt omnes substantiae organicae perfectiores, tantum enim pati quantum agere, est perfectio entium naturae, unde elasticitas et vires ac virtutes inde resultantes; formae superiores, omnem vim ingruentem recipiunt, et similem reddunt, si instituatur comparatio cum sensoriolis memoratis, ipsa sensatio est passio, cui actio similis correspondet, scilicet ut quod sentit in actum determinet, seu per actionem perceptionis suae ideam repraesentet, nam actio est repraesentatio actualis ideae mentis. Haec est ratio quod percepta idea tam cito in actum, ut in loquelam erumpat; aliter foret, si non in uno eodemque organo utrumque concurreret.

XXIV.

Quod intellectio quae est ultimum sensationum non se immediate in voluntatem, quae est primum actionum volvat, sed quod cogitatio quaedam et judicatio intercedat; sic sunt operationes mentis intermediae, quae ultimum unius cum primo alterius connectunt.

Est quaedam series progressiva aut gyrus ut intellectio transeat in voluntatem, intercedit nimirum cogitatio, quae est rerum perceptarum et intellectarum ulterior volutio, et similium ex penu memoriae evocatio; judicatio vero aut judicium est rerum cogitatarum in formam quandam rationalem reductio, exterminatis iis quae nihil ad rem faciunt, tandem fit conclusio, et sic voluntas; ipsa intellectio est pars prima operationum intellectus, cogitatio est pars secunda, judicatio est tertia, conclusio est quarta, quae omnes simul sumtae communi intellectus voce insigniuntur: sed gyrus hic tanta persaepe praesentia mentis et velocitate peragitur, ut vix appareat quod tot partes intermediae sint inter primam perceptionem rationalem et principia actionum, percurritur quandoque momento. Quod similis sit series operationum in singulis substantiis, quae perfecta elasticitate donatae sunt, ut comparatio queat institui, non dubito, scilicet quod elater naturae dum vim aut impetum patitur, non nisi quam per operationes similes intermedias in similem actum

se solvat et restituat; licet id momento et quasi instanti peragi videatur, sed heic non est locus illuc exspatiandi.

XXV.

Quod talis nexus sit perceptionis rationalis seu intellectionis cum voluntate seu principio actionum, id est, passionis cum actione in mente nostra, ut qualis sit una, talis etiam sit altera, seu quod mens privata perceptione etiam voluntate privetur.

Comparari potest perceptio mentis cum passione, voluntas vero cum actione, proinde mens perfecta cum elatere perfecto in natura; elateris enim facultas est, quod major vis elastica sit, quo corpus magis comprimitur; quod elater aequalis sit vi comprimenti; quod vis corporis elastici per actionem corporis comprimentis determinetur; quod elater a vi comprimente liberatus in statum pristinum illico restituatur; quod corpus cui vis elastica perfecta inest, utcunque compressum nullam suae vis jacturam patiatur, sed omnem reddat; et quidem tantum in vicina agat, quantum ipsa patitur, sic ut similis vis et impetus in vicinum, et ab hoc in sua vicina, et sic in omnem viciniam diffundatur; quod in conflictu corporum elasticorum centrum gravitatis ante conflictum et post eundem eadem celeritate moveatur, quando scilicet movetur, sic ut in conflictu corporum elasticorum status centri gravitatis conservetur, et plura, quae cum substantia hac organica ejusque operatione rationali possunt conferri et per correspondentias ad captum intelligentis explicari: Interim quod talis sit voluntas qualis perceptio seu intellectio, apparet a phaenomenis seu affectionibus mentis, animi, seu cerebri; crescit enim voluntas cum ipsa perceptione in pueris et adultis; quando perit una etiam perit altera, nam in eodem organo concurrunt; cerebro enim laeso, heterogeneis stipato, et ex ordine suo turbato, ad gradum damni non solum vacillat sensatio, sed etiam actio, uti in jactura memoriae, in catalepsi, in caro et somno, et in caeteris; ratio est, quod in voluntatem nihil queat inferri, nisi quod ex perceptione venit,

voluntas enim est clausula cogitationum, cui inest vis agendi cogitationum ideis convenienter.

XXVI.

Quod perceptio prima non in cogitationem, minus in voluntatem transferri queat, nisi aliqua vis accesserit, quae incitat et promovet; et quod absque vi incitatrice et promotrice perceptio illico exstinguatur, et cum perceptione similiter voluntas, quae pari passu ambulant.

Quod prima perceptio sit nuda sensatio interior, aut sit nuda passio, tam ex descriptione quam a reflexione admodum liquet; quod enim imagines visus per oculum et ejus nervi fibras ad sensorium commune seu sensationem quandam internam transeant, id consequitur, quando oculi aperti sunt; ita quoque sonus et ejus modulamina in aure; gustus in lingua, olfactus in naribus, et tactus in corpore: sed ut perceptio haec sit sensatio interior, ut et rationalis quae intellectio vocatur, in cogitationem et ab hac ordine in voluntatem transeat, id non fit absque vi quadam accessoria, et exstimulatrice; sed quae vires sint, quae se huc superadjiciunt, memorabo.

XXVII.

Quod prima vis sit ipsa harmonia et inde profluens amoenitas, et dulcedo, quae in organis sensoriis externis internisque ad primum objecti appulsum appercipitur, quae ita afficit animum mentemque et vivificat perceptionem, ut subsistere nequeat, quin usque in voluntatem continuetur.

Haec in se clara sunt; quod enim pulchrum et formosum est, illico oculum seu visum internum latente quadam jucunditate afficit; harmonia sonorum similium, ut et dulcedo saporis

et odoris, tum etiam adblanditiae tactus, his illico mens arridet, quare ejus perceptio non quiescit, sed illico actuatur, et similes ideas ex penu memoriae evocat; unde cogitatio, quam etiam sequitur voluntas.

XXVIII.

Quod altera vis sit amor sui conservationis aut amor sui, quae sensationes internas accendit, seu perceptionem primam usque ad ejus ultimam, has ad principium actionis excitat; et quod absque talis vis accessione intellectus noster sua vita orbetur aut elanguescat.

Si ipsas harmonias naturales, quae in organis corporis sensoriis primum appercipiuntur, penitius lustramus, liquet, quod illae sint totidem vires sui corporis conservatrices, nam non solum sensibus adblandiuntur, sed etiam quicquid in illis lapsum est, restituunt, uti ex innumeris phaenomenis demonstrari potest; harmoniae enim refocillant animam, ipsa viriditas vernalis et variatio colorifica pratorum visum redintegrant; quia animum exhilarant; ita symmetriae auditum: contraria vero nocent, et noxam inferunt; quae est ratio quod corpus illis doleat, et animus contristetur. Ex his consequitur, quod harmoniis naturalibus insit aliqua vis impellens et actrix, quia ad conservationem corporis contribuunt; amor sui est principium omnium amorum, animae, desideriorum mentis et cupiditatum corporis, omnia desideria finium exinde tanquam ex suo fonte scaturiunt; sunt itaque amores diversi tanquam rivi istius fontis, qui a singulis perceptionibus excitantur; totidem nimirum vires, vitae aut calores qui operationes mentis vivificant et usque ad actionem excitant; quae est ratio quod unusquisque suis polleat amoribus et desideriis, et unusquisque sua vita vivat, et quod illi qui amorum et desideriorum talium expertes sint, etiam ingenii obtusi, ac hebetes, ac stipites sint, spiritu nimirum et sanguine frigido et lento gavisi.

XXIX.

Quod ex amoribus his nascantur desideria alicujus finis, quae sunt ipsae vires activae, quae intellectui et voluntati insunt.

Nulla datur intellectus seu perceptio rationalis, proinde nec cogitatio et judicatio, minus voluntas, quae pari passu cum perceptione ambulet, absque alicujus finis intuitione et desiderio; absque hoc seu absque fine nusquam determinatur voluntas in actum; quare ut voluntas sit, ei inesse debet finis, quem mens contemplatur: sed fines sunt superiores et inferiores, superiores sunt solius mentis humanae, nec solum conservationem corporis et sui nude spectant, sed conservationem societatis, qualis est pars, praeter plura; loco finium rationalium bestiis sunt fines corporei, quorum desideria vocantur cupiditates et voluptates, unice propter conservationem sui, scilicet sui corporis, qui finis quia non a fonte quodam rationali et a principio rationis descendit, conservationem sui praeferunt conservationi totius societatis; sed de his ubi de animo et mente agendum est.

XXX.

Quod generi humano nihil connatum sit praeter perceptionem ordinis et harmoniarum, et veritatum, in formis et substantiis, in viribus et modis, quibus mens rationalis afficitur, quatenus conservationem sui tangunt; caetera vero, ipsae scilicet formae, substantiae, vires, modi, veritates ministerio sensuum addiscendae sunt, unde disciplinae et artes; aliter vero in brutis animalibus.

Supra confirmatum est, quod ipsae harmoniae sint nobiscum connatae, seu quod illas absque magistro percipiamus; ut dulcedines gustus et olfactus, symmetrias sonorum, pulchritudines et formositates naturae, verbo ipsum ordinem rerum, seu harmoniam modorum, virium, substantiarum, formarum: pro-

inde etiam ipsas veritates rerum, hae enim ipsi ordini in natura correspondent, quae etiam est ratio quod ordo appelletur veritas transcendentalis. Hoc clare appercipimus in nostro intellectu, nam arripimus veritates tanquam nudas absque demonstratione, unde semina virtutum et honestatis quibusdam inesse vel connata esse dicuntur: sed aliud est ipsa forma, et formae perfectio, formam debemus per viam sensuum vel disciplinarum nobis scientifice et experimentaliter comparare, non vero ipsam harmoniam et ipsum ordinem determinationum in forma; harmonia et ordo naturalis est, quia ipsi formae nostrarum substantiarum organicarum earumque sensationum et perceptionum conveniunt, et ita adblandiuntur, ut mulceant, titillent, et grate afficiant, ipsa vero forma exinde resultans acquirenda est, quae est causa quod inter Eruditos disceptatum sit, num ideae nobis connatae sint, vel num omnes acquisitae: id etiam confirmatur a reflexione ipsius nostrae cogitationis, imaginationis et sermonis, ut enim cogitatio sit et sermo, infinita adesse debent, quae solum ordinem concernunt, hic ordo a puerulis tam stricte observatur et producitur, ut integra schola peripatetica et Pythagorica intra decennium nequeat in regulas et scientias redigere, quod puerulus iste non intra momentum ex se et naturaliter promit: ipsis etiam veritatibus absque demonstratione posteriori ad primam enuntiationem arridemus, quatenus inest harmonia naturalis, et mentem grate afficit: praeter harmonias, ordinem et veritatem insitam etiam sunt amores, qui omnes ex amore sui scaturiunt; sed quando ab hoc fonte scaturiunt, nesciunt unde fluunt et quales sunt nisi per doctrinas. Aliter vero in brutis animalibus, illis adhuc plura connata sunt, scilicet ipsae ideae singulares, scilicet formae, modificationes et plura, nascuntur enim in suas sensationes, perceptiones et voluntates, et consistunt singula, ut primum ab uteris aut ovis excluduntur.

XXXI.

Quod sensus externi admodum obtusi, crassi, et hebetes, et proinde fallaces sint, ut in phaenomenis innumeris ipsis sensibus internis imponant, qui pro totidem veritatibus arripiunt,

quae apparent veritates esse; quia sensus isti in ipsas causas et principia rerum penetrant: quare scientia sensuum pure animalis est, non autem rationalis et vere humana.

Non quidem alia sciendi intelligendique via nobis data est quam per sensationes, seu per experientiam, id est per viam posteriorem, quae vocatur analytica; ipsae enim nostrae sensationes primum perficiuntur, deinde perceptiones internae, denique intellectus, judicium seu cognitiones veri finis non nisi sero et in aetate adultiori venit; et quia haec via est naturalis et unice concessa, necessum est, ut experientiis et phaenomenis naturae observandis colligendisque incumbamus: uti scientia optica quidem organismo oculi est familiarissima, usque nullas regulas nisi a scientia per experientiam exculta percipit; ita acustica auris; ipsaeque veritates, causae et principia rerum naturalium; imo etiam moralium, quibus licet arrideamus, quando se praesentant, non tamen usque penitius illas cognoscimus, quam ipsam pulchritudinem floris miscela formosissima colorum et partium symmetria conspicuam; in flore enim et rosa nihil ex nobis appercipimus quam formositatem, ordinem et veritatem, at vero ipsam formam, qui sit color, qui situs partium, et qui nexus, non nisi per experientiam sensuum explorare concessum est. Ipsa enim anima, quae sola res sensibus objectas intelligit, est ipse ordo, lex, veritas, proinde quicquid rationi ejus convenit, arridet; caetera vero aversatur et abhorret.

At quod infinita sint, quae sensibus apparent, et mentiantur quod talia sint, qualia non sunt, ex solis exemplis possumus illustrari; scilicet quod sol, stellae et planetae sint parvae moleculae, non autem tellures quanta nostra; quod absolute quiescamus, licet orbis noster terraqueus circumrotetur et circum solem gyret; similiter ac in navi, in qua quiescere videmur, licet ipsa plenis velis intra horam aliquot milliaribus a portu distrahamur; quod antipodes suis pedibus insistere posse non appareat; quod sanguis non circulet, cerebrum non animet, ventriculus peristaltice moveatur; quod exiguissimas fibras quoddam fluidum velocissime percurrat: quod atmosphaerae in

partes distinctae sint: nam, sicuti aquae, continuae vel nullae apparent: quod sit attractio, vacuum, unica atmosphaera, radius sit atomus; quod non sit substantia; quod corpus celerrime motum sit continuum; quod providentia, fatum, fortuna sint casus fortuiti; quod insania sit sapientia, fallacia sit veritas, decorum et indecorum honestas, vitium virtus; licentia liberum arbitrium, voluptates et oblectamenta sensuum summa felicitas aut summum bonum; quod ars appareat ingeniosior natura; quod philosophi meliori sensu communi polleant, quam plebeji, quod sapientes qui ornatius loquuntur et linguas callent et acutiores sales inspergunt, aut qui tacent, vel dimidium sensum intelligendorum promunt; quod aestimentur a nobis qui ab aliis quos judicio pollere credimus: infinita alia occurrunt circa disquisitionem veri et falsi, boni et mali, pulchri et decori. Ipsa discrimina, quae coram sensibus non apparent, dum celantur, credimus nulla esse, licet infinita sint, et figura admodum scabra et inaequalis. Ita in caeteris.

Ex his concludere possumus, quod si solis sensibus fidem habeamus, parum rationales simus, sed potius animales, nam bruta animalia fallaci visione et apparentibus datis facile capiuntur, quo itaque rationaliores sumus seu magis homines, eo plus umbras et fallacias sensuum discutimus, et ipsas veritates acute penetramus, seu causas et principia inimus, ipsamque fidem corpori nostro derogamus, id est, nos a sensationum umbris abstrahimus. Ergo humanum non est solis sensibus et sola experientia sapere.

XXXII.

Quod anima cum omni sensatione, perceptione et intellectione concurrat, sed tam sublimiter, universaliter et abdite, ut vix sciamus quid profluat ex anima et quid ex corpore

Sensationes enim sunt quae mentem nostram, ut rationalis audiat, informant, absque enim experientia sensuum nihil usquam intelligimus: sed quod intelligere possumus, ipsa scilicet potentia et facultas intelligendi, et singulas ideas in suum ordi-

nem redigendi, non est corporis seu organorum sensuum externorum, sed est animae: anima comparari potest cum lumine, quod oculum circumfundit, absque lumine non discernitur quid minus luminosum, et quid umbrosum est, seu ulla differentia objectorum, unde species et colores, ita anima est quae lumen quoddam affundit, ut veritates appareant veritates, ipsae vero sensationes dubia quaedam phaenomena adjiciunt, quae quasi obumbrant veritates, inde ideae et vera mixta falsis, unde opiniones, hypotheses, conjecturae, disceptationes, discursus, sermo: si nudae affulgerent veritates, nulla foret ratio, et ratiocinatio, nam nullus non agnescet, quod alter dixit, atque idem ac alter sentiret et cogitaret; status foret integerrimus qualis animarum, quarum loquela non dirigeretur nisi in laudem et gloriam sui numinis: ut itaque societas corporum existat, necessum est, ut intelligentia nostra sit mixta, non autem pura. Sed de his fusius, ubi de intellectu.

XXXIII.

Sensationum tam externarum quam internarum causae universaliter exinde derivantur, quod consciat anima quicquid sibi convenit et disconvenit, et quicquid corpus suum mulcet aut juvat, et quicquid pungit aut laedit, illud placet, hoc displicet, illis laetatur, his contristatur; sic omnes sensus fluunt ex causa conservationis sui, et interiores ex amore sui.

Veritas propositionis ex lustratis phaenomenis singulorum sensuum constat: gustus ex iis quod sint partes quae pungunt, ut salina, acida, urinosa, et aculeata caetera, et quae mulcent, ut sacchara, dulcia: illa laedunt, haec juvant; ex mixtura aculeatorum et rotundorum exsurgit amaritudo; dulcedo vinosa, et infinita plura; unde tanta varietas: similis est ratio olfactus, nam sensus olfactus capit similes differentias partium adhuc subtiliorum scilicet quae volant et fluitant in atmosphaera. Auditus est sensus adhuc sublimior, nam modo harmonias et disharmonias modulorum aëris persentiscit, quae naturales

sunt et conveniunt, illae mulcent, quae vero disconveniunt, ut disharmoniae, laedunt: similiter visus, cujus objecta sunt modificationes aetheris seu atmosphaerae superioris; hi sensus propius ad naturam animae accedunt; et a corporeis quasi recedunt, seque spiritualibus tanquam medii et internuntii insinuant. Sensus interni ut perceptiones et intellectiones similiter, illis enim placet quicquid suae naturae et ejus ordini convenit, displicet vero quod disconvenit, et quia naturae sunt dissimiles, ita ut unius natura nusquam sit absolute similis naturae alterius, et praeterea naturae in se integrae errore et fallaciis sensuum externorum facile pervertuntur, accedit [,ut] quod uni placet alteri displiceat, sed omnes sensus universaliter fluunt ex causa conservationis sui status et sui ordinis, anima enim suum corpus sensationibus instruxit, ut consciret quicquid ambitum ejus tangit, ut de mutatione status sui corporis, quem conservare studet, singularissime informetur: interni vero ex amore sui, amor enim est spiritualis, prout ipsa anima, unde ex causa ista appetit laudem, gloriam, vitam sui nominis, felicitatem in corpore et post fata corporis, quorum omnium amore ducitur, quare ista mentem permulcent, seu sensui intimo gratissima sunt et mire adblandiuntur.

XXXIV.

Quo formae perfectiores sunt, eo sensibus gratiores et jucundiores, ut et vicissim.

In gustu et olfactu ingratae sunt et displicent omnes formae angulares, nisi anguli ita dispositi sint ut aliquam formam perfectiorem repraesentent, et aliquem sensum excitent, quem mens judicat statu sui corporis restituendo convenientem et conformem esse; quae est ratio quod salina, et amara saepe arrideant, et dulcia ac aromatica displiceant; sed formae perfectiores, ut circulares et sphaericae, quae angularibus proxime superiores sunt, et proinde perfectiores, naturaliter placent, quia mulcent, ut dulcia et sacchara: formae quae auditum afficiunt sunt praecipue circulares, tales enim sunt formae modificationum seu fluxionum partium aëris, hae quo ad circu-

larem formam propius accedunt, eo sunt magis harmonicae et gratiores; imo adhuc jucundiores prout ad formam perpetuo circularem seu spiralem, qualis est forma modificationum aetheris, seu visus accedunt: quo autem ab his harmoniis magis discedunt, seu ad angularem, ut sint quasi asperae, aculeatae, verbo non rotundae, eo sunt auri ingratiores: visus similiter, quo enim formae istius seu imaginum in se et inter se sunt perfectius spirales, et hac ratione commixta umbra et lux, eo gratiores sunt, et quidem gratissimae si ad formam sensus superioris seu interioris, id est perpetuo spiralem, seu vorticalem accedunt: excipiunt tunc formae superiores, uti coelestes, et spirituales, in quibus singula sunt quasi perpetua, seu omne angulare abscissum et circumcisum. Ita cuivis organo sua est forma, quae ad superiorem spectat, et ad inferiorem se refert; cujusvis formae dantur infinitae mutationes status, inde infinitae variationes sensationis.

XXXV.

Quod tactus sit sensus ultimus et vere corporeus, cujus substantiae organicae innumerae sunt per universam cuticulam et ambitum corporis dispersae, quae simul et concretim sumtae organum tactus constituunt.

Sub cuticula intra exiguos sinus, propria quasi cubilia latent papillae molliculae pyramidales, epidermide defensae, tanto numero, ut per omnem cuticularem corporis ambitum sint sparsae, et nullibi exstet punctum, quod non superficie aliqua sua occupant, et quando sensui captando se applicant, quasi replent, contrahi enim queunt, et expandi, proinde se subducere et educere, et sic omnem cuticulam secum sensilem reddere; ita organum tactus non est unum continuum, sed ex infinitis organis concretum. Omne enim continuum naturae est adversum, quo enim distinctior est natura et singularior in suis productis et compositis, eo est perfectior, nam in singulis minimis latet natura et viget quasi sibi relicta, non autem in concretis, in quibus ejus ordo, forma et harmonia perit.

XXXVI.

Quod perfectio sensationis tactus ab organorum istorum quantitate, qualitate, situ et nexu, id est ex forma cujusvis particulari et omnium inter se communi, tum etiam a varietate quadam, ut nullum alteri absolute simile sit, prorsus uti perfectio glandularum corticalium, quibus haec corporis correspondent, dependeat.

Papillae enim aut substantiae illae organicae tactus, sunt molliusculae, cuivis vi tactili accommodabiles, seseque in se retrahunt, ut primum aliquid tangit et ingruit, quod nocet et noxam infert, se vero exporrigunt, quando titillantur rotundis et mulcentur: proinde quod erigantur et se remittant, secundum omnem appulsuum qualitatem: quod *quantitatem* attinet, quo plures sunt, eo minutiora discrimina et subtiliores differentias dignoscunt; quod *qualitatem*, quo molliores, eo cuivis vi tactili applicatiores, proinde sensibiliores, ipsarum perfectio ideo consistit in facultate mutandi suos status et se ingruentium formis applicandi, haec ratio est quod assiduo tenuissimo humore sint humectatae, et quasi medullosae, et sunt ipsae illae glandulae ex quibus fibrae corporeae nascuntur, quae continuo humorem ex circumfluo aëre imbibunt et transmittunt. Quod *situm* et *nexum* seu *formam particularem et communem* concernit, quo ipsae in se sunt perfectiores, eo sunt potentiae meliores producendi vel capiendi sensum, sed nuda potentia singularum non producit effectum, nisi omnes, quibus similis potentia inest, ad eundem effectum conspirent; utque conspirent, requiritur situs et nexus mutuus, proinde ordo et respectus omnium, ut scilicet una respiciat alteram ut ejusdem sensus sociam, sic omnino forma communis quae cum forma particulari seu cujusvis concurrat: haec est ratio quod ubi sensus est acutissimus, ut in digitis tam manus quam plantae et juxta ungues, in situ spirali prout ipsimet sulci jaceant, et quod non erectae sint, sed juxta longitudinem exporrectae, ut mutua sibi auxilia modo conformiori ferant. Quod autem *varietatem* [concernit],

scilicet quod nulla earum sit alteri prorsus similis, id apparet ex differentia tactuum, quod mens illico persentiscat, ubinam tactus existit, aliter enim, obtusius scilicet vel acutius vola palmae et plantae, quam dorsum, et digiti, aliter molle latus, quam thorax, aliter collum quam ipsum caput; haec varietas, ut sensus perfectissimus sit, harmonica erit, ita scilicet, ut unius varietas correspondeat varietati alterius, seu ex varietate singulari harmonica communio resultet: sicuti glandulae corticales, de quibus actum est.

XXXVII.

Quod organa sensationis tactus suis glandulis corticalibus in medulla spinali et oblongata, tum etiam suis glandulis corticalibus in ambitu cerebri correspondeant.

Quod papillae, quae sunt substantiae organicae tactus, tam glandulis corticalibus medullae spinalis et oblongatae, quam ipsius cerebri prorsus correspondeant, id ab anatomia intime perlustrata admodum liquet: papillae enim istae sunt extremitates nervorum seu fibrarum in tales formas organicas complicatarum, infinitae enim fibrae ad cuticulam pergunt, et inibi diramificantur, uti ab infantum corpusculis imprimis patet; et quia unaquaevis fibra originem a propria quadam glandula corticali in medulla vel spinali vel oblongata trahit, necessum est, ut unaquaevis papilla se ad suam glandulam ut propriam parentem referat; omnis sensatio secundum extensionem sui nervi vel suae fibrae subrepit, et versus originem suam enititur, proinde non terminatur nisi in sua origine, seu in glandula correspondente, exinde secundum totum axem et medullam spinalem, usque ad ambitum corticalem cerebri emergit, sensus enim non ad unam glandulam, sed ab una in omnes diffunditur, uti supra est cofirmatum; ita cerebrum omnis sensationis redditur particeps, quod de differentiis judicat.

Praeterea videtur alia quoque et immediatior intercedere communicatio papillarum tactus cum glandulis corticalibus cerebri, quam memorata, quae non immediata sed mediata est:

demonstrari enim potest, quod hae papillae organicae sint totidem glandulae, quae subtilissimum humorem ex circumfluo aëre et aethere imbibunt, et per suos emissarios usque ad corticem cerebri deducunt; emissarios istos appellavi vascula fibrae aemula, seu fibras corporeas, quae intimam arteriarum tunicam contexunt, et tandem in glandulis corticalibus terminantur, quibus purissimum hunc humorem, ex quo spiritus animalis elaboratur, apportant et porrigunt: hac ratione communicant hae papillae, quae sic totidem sunt glandulae glandulis cerebri corticalibus correspondentes, cum ambitu corticoso cerebri, unde sensatio tactus.

Adjicere etiam velim, quod papillae istae seu glandulae, quae plantam pedis sensu acuto tactus instruunt, concinnatae esse videantur ex ipsius cerebri fibris, quae secundum longitudinem medullae spinalis usque ad extremitatem ejus defluunt, et denique in nervos abeunt: adeo ut sensus tactus ipsius plantae immediatius communicetur cum cerebro, quam tactus caeterarum corporis partium, unde illis acutior inest sensus, et mutatio earum status statim cerebro inducitur, ita etiam ultima cum primis in systemate corporeo nexa sunt.

XXXVIII.

Quod anima sentiat singularissime omnem mutationem quae in universo corpore accidit, et illis quae aliquam noxam formis organicis seu corpori inferunt, tam singulariter quam universaliter succurrat; sed quod non aliarum mutationum conscii reddamur, quam quae cerebri corticem in specie afficiunt.

Quicquid ingruit fibrae, id ad originem fibrae recurrit, et quasi mutationem sibi factam nuntiat, omnis enim sensus tanquam in leviorem a gravi quum ad suam originem emergit et elevatur; ipsa origo est glandula corticalis, nam sive sit aliqua cerebri, sive cerebelli, sive aliqua medullae oblongatae aut spinalis, est instar glandulae in unoquovis puncto fibrae, prout instar cordis in unoquovis puncto arteriae, ita praesens

est glandula principii locum tenens in unaquavis minima suae fibrae parte, quare omnis mutationis redditur conscia: In universo corpore nihil datur organicum, quod non constructum sit ex fibra et vase, ipsa fibra est cujusvis vasis productrix et substantia formatrix, exinde sequitur quod nihil mutabile queat existere in toto systemate corporeo, quod ex solis fibris formata est, cujus non conscia reddatur glandula corticalis, aut anima ejus: sed aliter sentiunt glandulae corticales ac medullae spinalis et oblongatae, et aliter cerebelli, quam cerebri, illa communiter proinde obscure, haec autem singulariter et distincte, proinde datur sensus, qui non ad conscientiam nostrae mentis intellectualis pervenit; singularissime adeundus est cortex cerebri ut discrimina percipiat. Ex his sequitur quod nisi cerebrum in specie afficiatur, quod mutationum conscii reddi nequeamus: sensus tactus immediate cerebri corticem, simul ac mediate afficit, ut jam prius indicatum est, similiter sensus saporis, de quo mox; quod sensus olfactus similiter, apparet a processu mamillari, qui ipsi cerebro affixus est; visus usque in cerebrum per nervum opticum directe tendit. Quatenus jam anima omnium mutationum sui corporis conscia fit, et sensatio est passio, cui similis actio correspondet, necessario inde sequitur, quod singulis mutationibus convenienter succurrat, prout enim patitur, ita agit; naturalis ejus vis est, ut organismum illum, ejusque ordinem, harmoniam et formam, quam construxit, etiam conservet et tutetur, a qua enim organa existunt, ex illa etiam subsistunt, et modo quo existunt, etiam modo eodem subsistunt, anima enim perpetuo in statu formationis manet, et quod formatum est respicit ut formandum, et quod formandum ut formatum.

XXXIX.

Quod gustus sit superior sensus tactus, atque discernat partes figuratas seu formas angulares, quae simpliciores sunt, et quae in aliquo liquido fluitant.

In lingua similes fere papillae, ac supra memoratae inter poros cuticulae, deprehenduntur, sed triplex earum observata

est differentia, sub cute ipsius linguae et sub membrana quadam nervosa latitant, sed se exporrigunt et exsertant, quando excitatur appetitus et mens qualitatem edulium et potionum sentire desiderat; quae est ratio quod in mortuis se intus recipiant, abscondantque; ipsa vagina extima est reticularis, et multifora et pervia, ut partes impingentes seque super linguam glomerantes, illico suis punctis et aculeis papillarum membranas et exsertas lingulas possint contingere: quod effectum consequi nequit, nisi particulae per gustum discernendae solutae sint et in aliquo liquido fluitent, quae est ratio quod ipsa lingua ut et glandulae vicinae, totius buccae, seu faucium et palati, salivae cujusdam speciem affundant, siccatae enim linguae non datur nisi obtusus et hebes sensus, qualis fere est tactus. Quod sensus saporis sit superior sensus tactus, apparet exinde, quod tactus in tantum nequeat perfici, ut natantia in humidis effluvia, eorumque spicula, minus rationem et analogiam angularium inter se, et cum rotundatis planis commixtarum queat percipere: sunt enim gradus partium seu formarum angularium, scilicet magis minusque compositae seu simpliciores; quae compositae sunt, etiam illius generis inferiores, posteriores, imperfectiores sunt, quas tactus sentit, at vero gustus simpliciores, superiores, priores, perfectiores. Sed in genere observandum est, quod tres sensus, scilicet tactus, gustus et olfactus, non nisi figuras partium seu formarum angularium, id est, inertium, et gravium, non autem ipsas formas, earumque determinationes essentiales, prout auditus et visus, capiant.

XL.

Quod gustus sensus medius sit et vere corporeus, cujus substantiae organicae innumerae sunt per universam linguam dispersae, quae simul et concretim sumtae organum gustus constituunt.

Similiter ac supra de tactu assertum et ostensum est, nam papillae diversiformes per totam linguam ejusque superficiem

sparsae, sed tamen simul sumtae non nisi unum organum quia unum sensum constituunt.

XLI.

Quod perfectio sensationis gustus ab organorum istorum quantitate, qualitate, situ et nexu inter se mutuo, id est, ex forma cujusvis particulari et omnium communi, tum etiam a varietate quadam, quae harmonica dicenda est, dependeat.

Prorsus ut supra de sensu tactus memoratum est; nam similis est ratio utriusque, objecta enim utriusque sunt corpuscula figurata, dura et inertia, sed quae afficiunt gustum sunt ejusdem generis seu angularium simpliciora aut minus composita. Quod autem varietatem istorum organorum concernit, sunt triplicis compositionis et naturae; frequentiores, molliores et perfectiores sunt in apice linguae, dein quae in limbis, denique rariores, crassiores et imperfectiores circa radicem linguae, ita omnium est differentia et varietas harmonica; perfectio enim similium organorum in eadem lingua crescit et decrescit; inde fit quod nullius non assumpti figura hoc sensu explorari queat.

XLII.

Quod sensus gustus prout sensus tactus se mediate et immediate ad Cerebrum ut sensorium suum commune referat, immediate per nervum quinti paris, qui nervus est organorum sensuum communis, ab ipsa cerebri medulla oriundus.

Disceptatur num gustus ex nervo noni paris vel ex quinti oriundus sit, ubique enim, una cum nervo paris vagi linguam adit initque; sed quia lingua non solum musculosa est et a nervis motoriis conflatur, sed etiam papillosa et sensoria; et quia

fibrae dictorum nervorum in lingua mirifice se complicant, ut difficile sit internoscere cujusvis munus, ideo explorandum est ab aliis indiciis quae veritatem queunt revelare: quod nervus noni paris sit locutorius seu loquens, et quod nervus octavi paris sit manducans, et nervus quinti paris sit sensorius, alibi ostensum est: quod iterum nervum quinti paris attinet, ille est communis nervus e protuberantia annulari, in qua fibrae tam cerebri quam cerebelli concentrantur, emergens; hic nervus est tam mollis quam durus secundum observationem Ridleji, proinde tam sensorius quam motorius, uti nervus septimi paris seu auditorius; praeterea singula sensuum organa adit, prout visus, auditus, olfactus et gustus, sic fungi videtur eodem munere in capite, quo nervus intercostalis in cerebro, ille scilicet ut singulos sensus suo modo consociet, hic ut singulas actiones seu musculos; ex anatomia demonstrari potest, quod universalis ille sensuum nervus ex cerebro immediate oriundus sit, prout universalis ille motionum corporis naturalium seu intercostalis ut et vagus ex cerebello: praeter quod plura phaenomena confirment nervum noni paris esse nervum loquentem seu musculorum, quorum ope lingua loquitur. Ita quantum jam nervus quinti paris continuatur a medulla cerebri, seu ab ejus cortice exoritur, fluit, quod in cerebro percipi queant omnes differentiae tactus in lingua, aliter si nulla foret immediata cum cerebro communicatio.

XLIII.

Quod sensus olfactus sit adhuc superior sensus tactus, et discernat partes figuratas, seu formas externas angulares adhuc simpliciores et quae in atmosphaera aërea circumferuntur et fluitant.

Organa sensus olfactus sparsa sunt per totam membranam pituitariam seu mucosam, quae non solum cava narium incingit, sed etiam parietes simul et plurium cellularum obvestit: praeter cavitates narium etiam sunt sinus frontales inter ossis frontis tabulas exscúlpti, ut et antra Highmoriana in maxilla superiore, tum cellulae ossis cuneiformis, et praeterea sunt plu-

res cavernulae et hiatus spongiosi et labyrinthei, qui omnes cum naribus communicant, et communi membrana et periosteo sunt obtecti, per hanc membranam intra exiguum spatium usque spatiosissimum repunt myriades vasculorum, et consita sunt corpuscula glandulosa et rotunda, ingenti copia; sunt cava sex sinuum et cellulae quatuor ossium spongiosorum, quae mutuo inter se communicant, et similibus organis seu glandulis ornatae et refertae; omne hoc expansum suam originem a nervis olfactoriis trahit; nervi olfactorii, alias processus mamillares vocati anteriori parti cerebri affixi circa cristam ethmoideam attenuantur, et per laminam quandam plurimis foraminibus pertusam, quae cribriformis vel cribrosa vocatur, transmittuntur, has fibras etiam foras comitatur utraque meninx, tam pia quam dura, una cum aliquibus vasculis arteriosis et venosis. Ex descriptione expansionis et connexionis hujus organi patescit, quod sensum adhuc subtiliorem seu partium simpliciorum quam gustus capiat: nam quae in aëre fluitant, leviores et volatiliores sunt illis quae in aquis et liquidis, quae gustum afficiunt; ut enim gustus dignoscat figurationem partium, necessum est ut composita solvantur, sed ut olfactus appercipiat, non opus est ut solvantur, sed effluvia, a corporibus tam regni animalis, quam vegetabilis, ut et mineralis exhalata, sentiuntur; proinde capiuntur illa, quae non fixe insident corporibus, sed quae sponte ab iis separantur, et deinceps in aëre circumvolitant: effluvia regni animalis tam copiosa sunt, ut canes etiam herum, homines, animalia diversi generis solo olfactu indagent et investigent: effluvia vero regni vegetabilis adhuc copiosiora et sensibiliora sunt, ut aromatica ex hortis et pratis: ex regno minerali sunt plura inodora, sed multa quoque datur copia, quae liquido sensum excitat. Proinde olfactus videtur dignoscere partes simpliciores quam gustus; sed tamen sunt formae angulatae, in se graves, inertes, durae, figuratae, vere corporeae et materiales.

XLIV.

Quod sensus tactus, gustus et olfactus percipiat modo formas partium externas, non vero internas, sicuti sensus auditus et visus.

Ipsa forma partium externa seu figura, quae angularis, aculeata, plana, rotunda est, sentitur ab organis tactus, gustus et olfactus, non autem qualitas earum, seu forma interna, nam partes superficie tenus afficiunt papillas; et quia sunt inertes et durae, non quoad internam structuram possunt ab illis organis explorari, quae est causa quod de istis ex solo sapore et odore judicemus; et non dignoscamus, num conveniant vel disconveniant, ita arsenica et venena possunt sacchara sua dulcedine mentiri; ipsa eorum qualitas interna ab effectu solo indaganda est, unde chymia et medicina practica: aliter vero auditus et visus, ipsae formae internae, non autem externae istis sensibus capiuntur, nam sunt modificationes et fluxiones quae secundum determinationes suas essentiales organum afficiunt; quare alia prorsus est ratio sensus auditus et visus, quam olfactus, gustus et tactus.

XLV.

Quod sensus olfactus afficiat totum cerebrum, ac immediate omnem ejus substantiam medullosam, et mediate substantiam corticalem, et quod cerebrum, cujus forma harmonica est, aversetur quicquid harmoniae contrarium est, et appetat quod ei conforme est.

Sensus olfactus se immediate in totam substantiam medullosam cerebri insinuat, et per illam se diffundit, nam ut primum fibra ejus sensorii penetrat laminam cribrosam, diffunditur in processum mamillarem, qui juxta corpora striata exoritur, et radices per totam medullam sparsas trahit, nam processus isti in nidulis cavi quando insufflantur, totam substantiam medullarem expandunt et in tumorem expandunt; in cerebris humanis non tam late sparsae videntur esse radices quam in cerebris animalium irrationalium, ne scilicet odores ratiocinia et judicia mentis humanae perturbent, et tam frequentes mutationes ei inducant. Quatenus olfactus per totum cerebrum spargitur, sequitur quod omne id quod harmoniam ejus partium et substantiarum laedit, mens aversetur et sentiat aver-

sum, et tetrum; reliqua vero sibi conformia: ipsa cerebri forma perfectissima est, scilicet spiralis, in illam fluunt substantiae ejus corticales, et proxime fibrae, quae ab illis oriuntur, quod itaque disharmonicum est, disconvenire debet, sive simul sive successive existat: quod enim harmonicum in se est, non patitur disharmonicum, quin illico sentiat quod sibi et suorum individuorum ordini repugnet. Ita olfactus modo communem cerebri formam, non autem particularem cujusvis glandulae afficere videtur.

XLVI.

Quod cerebrum seu sensorium commune sensu olfactus non afficiatur, nisi quando ejus fibrae in sua diastole seu expansione sunt.

Expanditur totum cerebrum medullosum seu singula ejus fibra quando expanditur pulmo, id est, attrahitur aër, nam synchroni sunt motus cerebri et pulmonum; in quavis expansione communi cerebri, omnes ejus fibrae a situ compressiori in naturalem suum, id est in harmonicum rediguntur, inde tunc modo olfactus patitur, uti etiam in nobis animam trahentibus observare licet: praeter alia sensus olfactus redit, quando cerebrum medullosum post sternutationem in suum naturaralem statum quoad fibras redactum est, scilicet quando nihil amplius obstipat fibras et glandulas, quin cum suis glandulis distinctae teneantur.

XLVII.

Quod similia quae de sensu tactus et gustus observata sunt, circa sensum olfactus observanda sint.

Scilicet quod substantiae hujus sensus organicae innumerae sint, et per universam membranam pituitariam dispersae, quae simul et concretim sumtae organum olfactus constituant: tum quod perfectio sensationis olfactus ab organorum seu glandularum istarum quantitate, qualitate, situ et nexu inter se

mutuo, id est, ex forma cujusvis particulari et omnium communi, tum etiam a varietate quadam, quae harmonica dicenda est, dependeat; ratio est, quia tam objecta sensus olfactus, sint similia ac quae sunt objecta gustus et olfactus, scilicet figurata, inertia, salina, sulphurea, urinosa, oleosa, aromatica, scilicet omnia regni mineralis, et formae angularis et terrestris; quo vero haec terrestria propius ad formam circularem accedunt, eo gratior inde resultat sensus.

XLVIII.

Quod anima etiam sentiat puriora adhuc corpuscula et formas simplicium elementorum in aethere adhuc superiore natantium; et organismum suum disponat, ut quae conveniunt, alliciantur et per poros subtilissimos usque ad corticem subtrahantur, quibus spiritus animalis et sanguis purior praeparetur; sed quod formarum istarum et earum varietatis per nullum sensum conscii reddamur.

Quod sensus olfactus mirifice perfici et exaltari queat, apparet ab animalibus, quae odoratu et sagacitate investigant et sentiunt effluvia amica sui domini et inimica animalium caeterorum; imo persaepe ad immensam distantiam: nos vero homines odoratu duntaxat capimus illas formas, quae in aëre natant, memoratae vero bestiae etiam illas quae in aethere; quarum oceanus datur, uti ex phosphoris et innumeris aliis phaenomenis liquet; atmosphaerae enim exhalationibus refertissimae sunt, ut nihil usquam desit, quin praesto sit, ut sanguis noster tam rubeus quam candidus et spiritus animalis donetur illis quae compositionem ingressura sunt; praeterea sunt pori exiguissimi qui jam aperiuntur, jam clauduntur, jam avide undam talium arripiunt et imbibunt, jam vero respuunt et evomunt, seu sunt momenta quando cuticula nostra apertissima stat, et quando constricta; inde enim diversi morbi tam oriuntur quam sanantur; hoc instinctus vocatur, nec ad conscientiam nostrae mentis pertingit, quia subtiliora sunt, quam ut

papillas seu organa queant afficere; hoc sibi reservavit anima, nec per quendam sensum revelare voluit menti, quae forte praevia voluntate etiam hanc oeconomiam vellet comministrare, unde universa chymia animalis facile subrueretur et pessum iret: jam foret hic sensus omnium sensuum tactus accutissimus et purissimus.

XLIX.

Quod auris sit organum auditus prorsus ad receptionem modificationum aëris confabricatum.

Ex fabrica auris de natura modificationum aëris, et ex natura modificationum aëris de fabrica auris satis exacte instrui possumus; est enim aër modificatus causa principalis et auris instrumentalis, unum sic ad alterum formatum, ut ne minimum quidem uni insit, quod non alteri inscriptum exstet: sed requiritur ingenium sagax et scientiis ornatum, ut unius natura ab altero exploretur. Ipsa enim auricula seu auris externa cum sua pinna aut lobo, helice et antihelice, trago et antitrago, scapha, concha, tegumentis, cartilaginibus, folliculis seu glandulis et musculis prorsus ad primum impulsum soni seu modulaminum exporrecta, spiraliter intorta est, ut ne minimus radius elabatur, quin in meatum auditorium aptissime derivetur: ipse meatus cum suo progressu tortuoso, substantia ossea, cartilaginea, tunica, glandulis ceruminosis, corpore reticulari, et pilis, adaptissimus est, ut adventantem et concentratum sonum in membranam tympani deducat, et simul arceat, ne dictae membranae quid damni inferatur. Membrana vero tympani, concava, figurae ellipticae, oblique posita, ex tribus membranis complicata, quarum exterior meatui auditorio, interior vestibulo, continuatur; etiam perforata, receptum sonum sibi prorsus adplicat, seque suamque cavitatem vel explanat, vel remittit. In ipsa cavitate tympani observata ossicula, ut malleus, incus et stapes, cum eorum manubriis, connexionibus, ginglymis, musculis, chordis clare indigitant, quod minimi tactus aut vires ab extima membrana, ad quandam interiorem, fenestra

vocatam, propagentur, adeo ut totidem sint exiguissimi pulsus, quot distincti soni; intime autem seu in labyrintho, ejusque vestibulo occurrunt tres canales semicirculares cum suis membranis sonoris, ut et mirabilis artificii cochlea cum lamina spirali, nucleo, nervulis, periosteis, et infinitis aliis memorabilibus, et praeterea binae fenestrae, et aquaeductus Fallopii, aperte indicant, quod organismus auris prorsus formae fluxionis individuorum aëris correspondeat: et totidem sane mirabilia in unico hoc ossi petroso insculpto cavo se conspicienda praebent, ut intelligentissimas mentes humanas in stuporem auferat: ipsa instrumenta acustica arte fabricata quo propius ad scientiae hujus naturalis documenta accedunt, eo perfectiora sunt.

L.

Quod singulis modis et radiis soni sua vis insit, quodque differentia virium producat differentias soni, quibus distinctissime recipiendis et trajiciendis auris informata est; proinde quod auditus etiam sit sensus alicujus tactus.

Ex infinitis documentis, ut et ab omni apparatu organi auditus seu auris perspicuum est, quod modificatus aër per vires agat, seu quod totidem vires, seu exiguissimi impetus et tactus sint, quot soni; ab aure id patet ab ejus membranis et fenestris, a malleo membranae alligato, ejusque sinu et fovea, in qua delitescit, tum etiam ab incude et stapede, eorumque articulationibus, quae indigitant aperte quod totidem pulsus sint, quot differentiae soni: etiam ex innumeris aliis phaenomenis soni eadem veritas confirmatur, scilicet quod sonus auctus tantam vim in obvia exserat, ut illa violenter e loco suo moveat, et vitra frangat: expertus sum ex solo clangore et sono subito accensi pulveris pyrii in navi, [quae] perfracta est et deflagrata, tum etiam ejusdem pulveris accensi in turri aut magno receptorio, quod tecta domis elevata sint, eversae mensae, perfractae fenestrae, corpus vi impellente fortissima e

loco suo actum, et plura, quae manifeste indicant, quod cuicunque sono vis insit, major et minor secundum gradum ejus intensionis; proinde quod differentia virium producat differentias soni. Praeter haec phaenomena etiam innumerabilia alia dantur, quae sonorum vim impulsivam confirmant.

LI.

Quod differentiae virium, impulsuum seu tactuum inter se aliquam harmoniam constituant, quae vocatur forma modificationum, ex qua resultat forma sensationum, seu ipsa sensatio, de qua nihil praedicari potest, priusquam ejus differentiae inter se analogice comparatae sint.

Hoc apparet in harmoniis musicis, quae cum numeris et rationibus ac analogiis inde resultantibus possunt comparari, sonus enim absque alio conjuge, non dici potest qualis est, sed ex relatione et comparatione fit aliquid. Ipsi radii sonori, seu modi, quae differunt viribus, illico cum compositis aliis fit harmonia vel disharmonia, sic aliquid, quia relative est talis; inde nascitur harmonia musica: haec ratio est, quod naturae attributum sit, variam esse, ejusque perfectio quod harmonica sit.

LII.

Quod ex sonis eorumque differentiis inter se collatis oriatur harmonia sive disharmonia, quae est ipsa forma modificationum, quae in organo auditus grate vel ingrate repraesentatur.

LIII.

Sed quod harmonia et disharmonia sit respectivum quid ad ipsius auris organismum ejusque communicationem cum cerebri, adque partium sensibilium cerebri varietatem harmonicam inter se seu in communi, tum etiam respective ad formam

glandulae corticalis, seu qualis est animus, tum etiam principaliter, qualis est mens: ex ejus statu judicatur de harmonia sensationum in genere, et de auditus in specie, quae est ratio quod eadem harmonia non omnibus similiter sit grata, sed quae placeat aut displiceat alteri; usque tamen quod naturaliter harmonia perfectior et imperfectior detur, sed quod memorati status in causa sint quod harmoniae perfectissimae seu vere naturales tanquam disharmoniae percipiantur.

LIV.

Quod sensus auditus caeteris sensibus scilicet tactus, gustus et olfactus excellentior et perfectior est, in eo quod auditus ipsas formas seu determinationes essentiales objectorum sentiat, tactus vero, gustus et olfactus solum formas externas seu figuras, et quidem partium duriorum: adeo ut auditus intimam essentiam soni compositi seu harmoniam queat penetrare, non item sensus inferiores, qui modo qualitatem externam, non autem internam capiunt.

LV.

Quod auditus quidem sit sensus externus et corporeus, sed quod ille ad formationem intellectus humani praecipue contribuat; unaquaevis enim vox, quae est sonus compositus et varie articulatus, unam aliquam mentis ideam significat, ipsae vero ideae per talem modum connectuntur, ut inde forma quaedam rationalis resultet, quae non nisi quam ex formis materialibus inter se compositis et modo rationali et analytico connexis potest resultare: quoque ideae magis intellectuales sunt, eo plures ideae debent analytice componi, ex quarum ultimis resultatis et productis mens inducit, et concludit, quid intime in illis lateat; sic non aliter ad intelligentiam puram animae approximatur; quae tandem non nisi quam intimum sensum vocum capit, et quidem ultimo talem intime reconditum, qui nusquam aliqua voce nisi occultissima, nec ambage vocum potest exprimi: tunc excipit loquela spiritualis seu angelica, seu philosophia universalis, et modo veritatum per-

ceptio earumque inter se harmonia perfectissima et divina; talis est propria animae loquela.

LVI.

Quod auditus in se spectatus sit inferior sensus visus; formae enim quae per sonos articulatos seu voces repraesentantur, transeunt in imagines quales sunt ipsius visus; adeo ut audita contemplemur quasi visa, antequam in ideas rationales et intellectuales mutantur: quae tamen ita conveniunt, ut quaedam manifeste appareat inter utrumque affinitas, sed quod intercedat modo discrimen perfectionis, quale scilicet inter modificationem aëris et modificationem aetheris, seu inter aërem et aetherem, quae in genere conveniunt, sed in specie differunt, seu quale est inter entia naturae superiora et inferiora, priora et posteriora, simpliciora et composita, perfectiora et imperfectiora, seu inter principia et causas, seu inter causas et effectus.

LVII.

Quod auditus ejusque vocum forma non transeat in visum quendam superiorem per modum analogiae, seu quod forma auditus naturaliter excitet similem formam seu harmoniam visus, id est, imaginem et ideam, sed quod mens instructa, quid voces significent, concurrat, et sic ex usu et simul ex propria intelligentia ipsas voces et formas loquela connexas intelligat, seu ex illis sensum quendam rationalem eliciat: Ita sonus nequaquam aliquid rationale in mente excitat, sed ipsae formae vocum, quae totidem sunt ideae mentis, ansam dant intellectui, ut inde aliquid rationale educat. Quod ipsi soni nequeant aliquid intellectuale in mente producere, apparet ex voculis, quae prorsus aliae sunt in una lingua quam in altera.

LVIII.

Interim quod animalia, quae nullo intellectu vel mente

rationali instructa sint, nequaquam possint sermonem aliquem rationalem producere, nam qualis anima, talis mens, qualis mens talis sermo; proinde sermo manifeste indicat quod anima quadam intelligentiore, superiore et perfectiore anima brutorum gaudeamus.

LIX.

Quod loquela brutorum sit solummodo corporea et materialis, in genere significans eorum animi affectiones, quae multam affinitatem cum sensu illorum interiori retinent; et quod talis loquela, quae naturalis et communis dicenda, etiam nostrae loquelae interspersa sit; scilicet quod plurimas voces possideamus, quae per solam variationem et naturam soni ipsam aliquam affectionem animi satis naturaliter significent et exprimant.

LX.

Quod auris, quae est organum recipiens soni, se ad receptionem ejus singularissime applicet, sine qua applicatione mutua discrimina sonorum sentiri et percipi nequeant, proinde quod auris totidem mutationes status subeat, et sibi ipsi inducat, quot sunt discrimina soni; uti apparet ex ejus mallei, incudis et stapedis applicatione, quare unicuique organo adesse debet vis altera et sui disponens, qualis est passiva et inflatus, ita etiam in caeteris omnibus organis.

LXI.

Quod unicuique organo sensorio praeesse debeant fibrae tam motoriae quam sensoriae, et quod sensatio peragi nequeat, si alterutra deficiat, et nisi sit aliqua actio quae passioni vel sensationi correspondeat. Et quod actio organi fiat ex usu et natura, et quidem inscio intellectu; proinde quod fibra organi motoria ex cerebello videatur mota esse, fibra vero sensoria ex cerebro; ita cerebellum et cerebrum in unoquovis organo sensorio regnare videtur.

LXII.

Quod omnis sonus mutationem status insignem inducat cerebro, et quod omnem ejus substantiae tam medullaris quam corticalis, tam etiam utriusque meningis particulam moveat et vibret; imo quod sonus ipsum cranium ejusque partes et fibras, imo totius corporis in aliquam contremiscentiam agat: proinde quod totum systema corporeum virium soni particeps reddatur.

LXIII.

Quod sonus particulariter vibret et contremiscere faciat partes cerebri, cerebellum et utramque medullam; ac ipsum eorum corticem non nisi communiter, ut sonus ejusque harmonia nequaquam mutationem status ipsi cortici in particulari queat inferre; sed quod cortex ex mutatione status communi sui cerebri advertatur, et quidem ex usu, quid talis mutatio significet.

LXIV.

Quod auditus et loquela quatenus totum cerebrum ejusque partes perreptat et movet, secundum ejus substantiarum formam fluat, quae est ratio quod Cerebrum harmoniam sonorum sentiat, quae talis agnoscitur esse qualis est forma communis seu situs et nexus, ordo et forma partium.

LXV.

Quod auditus mirifice serenet et purget, et in ordinem suum redigat cerebrum, cerebellum, et ipsum corpus ejusque viscera; imo quod plura quae alioquin concrescerent et collaberentur, restituat; et quod spiritum animalem suo modo promoveat, ut cum sanguine conjugium ineat, et quidem ab ipso cerebro per sinus in venas jugulares, et a venis jugularibus usque ad regionem cordis; proinde quod aliquid ad vitam animalem contribuat. Loquela enim et ejus sonus est species

cujusdam contremiscentiae, quae tam liquida quam solida pervadit; quae est ratio quod auris insculpta sit ossi petroso, et ejus nervus transeat per illam partem cranii, ubi sinus concurrunt, et ipse spiritus per cranii poros transeat.

LXVI.

Quod discrimina soni non existere nec distingui queant, nisi sit sonus quidam communis non discriminatus aut articulatus, in quo et sub quo discerni queunt singularia, non secus ac quod nullus visus possit absque lumine communi existere, cujus respectu omnia ista discernuntur, quae minus magisque luminosa sunt. Talis sonus datur per universum cranium, quae est ratio quod auris ossi petroso et porosissimo insculpta sit: tum etiam quod instrumenta musica eo distinctiora, perfectiora, et magis sonora sint, quo chordae affixae sint ventri et tabulae magis trementi, quae communem ex se sonum producit; sed quod communis ille sonus, uti ipsum lumen, non appercipiatur in sono singularium.

LXVII.

Quod auditus immediate communicet cum cerebro per nervum septimi paris molliorem, qui quod ex cerebri medulla exoriatur, probabile est, sed quod ejus portio durior cum medulla cerebelli, a qua oriunda esse videtur; exinde fluit, quod auris ad recipiendum sonum a nervo duriori, sed ad sensum captandum a nervo molliori, per sensibiles ejus vestibuli membranas, cylindros et cochleas distributo regatur.

De visu.

Organum visus est oculus, orbitae suae insculptus, figura globosus, *colore* niger, fuscus, griseus, glaucus, caeruleus; ut praetermittam palpebras et cilia, ipse oculus sex musculis pro motu est instructus, quorum nomina sunt, musculus attollens, deprimens, abductor, adductor, obliquus superior et inferior. Tunicae, humores et vasa ipsum bulbum constituunt; tunicae

sunt plures, ut *albuginea*, quae etiam adnata et conjunctiva vocatur, in anteriore parte haeret et oculum orbitae jungit; altera est *cornea* quae est pellucida et in lamellas dividua: tertia est *sclerotica*, dura, opaca; quarta est *choroidea* nigra in homine, duplici constat lamella; quinta est *uvea* quae est pars anterior choroideae, perforata, colorata, per corneam conspicienda, convexa, in qua notanda sunt *iris* varii coloris; *pupilla* quae est foramen rotundum in medio fere iridis; facies posterior uveae est nigra. Praeter haec observata sunt *sphincter pupillae* pro contractione, *fibrae ciliares* pro dilatatione, *ligamentum ciliare* vel annulare pro motu vitrei et crystallini; insuper *circulus arteriosus* et *venosus* et *ductus nigri*. Postea *retina* tunica tenerrima, albicans, quasi mucosa, expansio nervi optici circa fundum, visus pars primaria. Humores vero sunt *aqueus* seu *albugineus* utramque oculi cameram replens, in quo uvea libere quasi fluctuat, qui continuo reparatur. *Vitreus* probabiliter ex vesiculis seu cellulis subtilissimis constans, partem posteriorem oculi replens, tunicae retinae contiguus. *Crystallinus* fere lentiformis reliquis solidior, lens crystallina dictus, foveae vitrei ope tunicae tenuissimae inclusus, mox post pupillam libere quasi suspensus ejusque ope mobilis, ex multis lamellis pellucidis ad ceparum similitudinem constructus. *Tunica arachnoides* vasculosa, crystallinum et vitreum corpus cingens. *Nervus* opticus retinam conficiens a latere nasi oculum ingrediens. Praeterea sunt nervi 3, 4, 5 et 6 parium.

Quod oculus sit organum ad receptionem modificationum aetheris, prout auris ad receptionem modificationum aëris sit confabricatum, ita ut ex oculi fabrica et forma instrui queamus qualis sit natura modificationum aetheris, ut et vicissim, unum enim correspondet alteri, prout causa instrumentalis principali; talis correspondentia videtur esse, ut oculus non aliter formari potuerit, quam formatus est, ut omnem differentiam et varietatem modorum influentium recipiat, sibi applicet, adque sensorium commune transmittat.

Quod anima corpus suum visu instruere voluerit, ut per eum omnem varietatem mundi aspectabilis qui infra se et suae intuitionis sphaeram positus [*est,*] *caperet; sine quo non in cognitionem ejus perveniret; tum etiam ut sic non aliter suo*

corpori prospiceret aque omni periculo imminente caveret, qui finis est omnium sensationum universalis; tum etiam ut suum intellectum seu mentem rationalem per viam posteriorem seu sensuum et cumprimis visus perficeret; praeter hos fines sunt etiam plures speciales et particulares.

Sed quod sensus visus, quamvis sit omnium sensationum externarum supremus et perfectissimus, usque tam hebes sit, ut non nisi quam ultimos naturae effectus, nec nisi quam formas eorum externas seu figuras contempletur; et quod infinita lateant et ejus acumen fugiant, et solum paucissima pateant, et quidem haec admodum obscure et indistincte, et tanquam continua, quae est ratio quod interiora et causae corporum et objectorum per plurium saeculorum experientiam investiganda sint, et quidem ope scientiarum, quibus intellectus ad penitius intuendum acuitur.

Quod ope artis opticae seu microscopiorum detexerimus quam infinita visum nostrum ocularem lateant, ipsa enim minima insecta quorum vix umbram seu ut minimum punctum conspicati sumus, usque apparuere quod suis nervis, vasis, sanguine, corde, cerebro, medulla, musculis, organis sensuum, nutritioni et generationi dicatis, instructa fuerint: et quod globulus sanguinis rubri prius vix conspicuus infinitas partes continuerit, et plura: ex quibus induci potest, quod etiam hae partes, quae ultimae sunt visus microscopici, etiam infinitas minores et integrum quoddam systema in se complectantur; adeo ut natura in suis minimis adhuc longe intra nostram experientiam opticam penitus abscondita lateat: sed quod donati simus visu quodam interno seu imaginatione quae adhuc penitius in formas rerum objectarum penetret; et quod visus intimus adhuc penitius; ita etiam respective ad distantias, adeo ut quum auditus noster ad mediocrem distantiam se extendat, visus ocularis respective ad immensam, ut ad ipsum solem et sidera, quod mens nostra rationalis suo visu adhuc ultra sidera, et anima, quae est ipsa intelligentia et visus purus, cognitione sua non terminetur nisi cum universo creato; quum enim talis differentia sit inter perfectionem auditus et perfectionem visus, qualis non foret inter visum et intuitionem ipsius animae sibi relictae.

Concludi etiam potest, quod visus minimorum animalculorum admodum acutior et penetrantior sit visu animalium majorum, adeo ut discernere queant partes, quas microscopii ope aegre adhuc distinguere possumus: proinde quod illa minima puncta nostri visus tanquam integras moles et orbes conspicentur, super quos ambulant, quorum in poris tanquam in antris se abdunt, et ex quorum minimis individuis suam alimoniam quaesitant, inibi sua ova ponunt, et pullos excludunt; hoc ex necessitate eorum vitae et nutritionis naturali, et simul ex oculorum illorum exiguo diametro judicari posse videtur.

Et quia mens nostra de objectis, nisi ministro oculo, judicare nequit, de eorum figura judicat ex varietate lucis et umbrae, de magnitudine et mole ex distantia, de forma ex motu; et de harmonia ex jucunditate qua visus et animus afficitur; inque his ipsa natura multis parasangis artem excedit. Ex his sequitur, quod mens ex visu judicans admodum falli queat, si aliquid obscure patet, ex quo de objectis judicia sua format. Visus enim est minister et internuntius mentis rationalis, quam de mundo aspectabili ejusque varietate informat.

Quot radii luminosi totidem sunt vires et exiguissimi pulsus et tactus, tametsi respective ad sensum tactus rudissimum tanquam nulli appareant, sicuti nec modificationes aëris, at sine tactu nihil afficitur; Quo radius luminosior et intensior, eo fortior, quo autem minus luminosus, eo minore vi agendi pollet, et ipsa umbra prorsus nulla: quantae insint vires radiis solaribus, apparet ab effectu tam scilicet a calore quam ab irritatione membranae narium in sternutationem, tum etiam a repercussione visibilium ab objectis et speciebus in oculum, aque phaenomenis refractionis, et infinitis aliis.

Quod imagines quae visum oculi producunt sint modo variationes luminis et umbrae, seu virium fortiorum et debiliorum inter se varie commixtarum, [constat:] inde exsurgit imago, seu species visualis, et objectum; ipsi etiam colores non sunt nisi variegationes luminis et umbrae, seu potius albi et nigri a radiis luminosis illustrati. Ipsa analogia lucis et umbrae, aut albi et nigri radiis illustrati, proinde forma externa et harmonia

producit species colorificatas, quoque major ratio albi quam nigri, eo flaventior usque ad rubedinem, quae ex aequo de utroque participat, quo autem major ratio nigri, eo viridior et magis caerulescens, et sic porro. Ipsa ratio producit colorem, sed forma et harmonia nitorem et pulchritudinem, at colorum inter se harmonia visui jucunditatem.

Quod nulla imago repraesentari queat oculo absque lumine communi, sub quo sit, et in quo appareat id quod minus magisque luminosum et quod umbrosum est: ita in umbra perit visus, inque luce crepusculari debilis est, medio vero die illustris.

Quod omne visum, objectum, seu imago mutationem status suo sensorio inducat; et quod oculus se ad omnem objecti sui qualitatem ex se ipso disponat; sic ut sit in oculo activum seu actio, quod passivo seu sensationi correspondet, id apparet ex ipsa oculi fabrica, exque propria observatione quando imagines in oculum influunt; ex fabrica, pupilla enim est mobilis ope humoris crystallini, utque ad omnem objecti varietatem actualiter moveatur, instructa est sphinctere, fibris et ligamentis ciliaribus, et ipse humor crystallinus ex multis lamellis componitur, quodque uvea libere natet in humore aqueo, et humor aqueus seu albugineus perpetuo reparatur; sic oculus se omni objecto recipiendo per status mutationes mirifice adaptat.

Quod mutationes status oculi sint tam generales, quam speciales et particulares, in genere mutatur situs oculi respective ad situm objecti, quod fit ope sex musculorum, tum etiam quod palpebris superinductis se ad partem obscuret, et elevatis omnem objecti influxum integre admittat: in specie mutatur situs pupillae, in particulari omnes minimae compositiones humorum tam aquei, quam crystallini ut et vitrei, nam hic ex vesiculis et cellulis subtilissimis constare putatur, praeter ipsam retinam, quae omnes vires influentes distincte recipit.

Quod objecta visualia etiam mutationem status inducant singulis fibris nervi optici, tum etiam singulis fibris medullae cerebri, et denique singulis glandulis corticalibus; eadem enim vis quae humori vitreo et retinae infertur, etiam fibris exinde protensis usque ad fibrarum fines communicatur; sed mutatio

status per has vires inducta levior et subtilior est mutatione per vires sonoras seu auditus.

Quod radii visuales non ad certas aliquas glandulas corticales cerebri, sed ad totum ambitum corticalem seu ad omnes universim glandulas enitantur, adeo nulla detur cerebri glandula, quae non uniuscujusvis radii visualis consors et conscia reddatur; similiter etiam unaquaevis fibra; nervus enim opticus post coalitionem cum socio in ventriculis cerebri majoribus in binos tumores, qui thalami nervorum opticorum seu crura posteriora medullae oblongatae nuncupantur, expandit, hi thalami communicant cum omni substantia tam medullari quam cineritia totius cerebri, lobis enim ejus postremis seu limbis accumbit et adhaeret, fibrae autem loborum cerebri superioris tum etiam verticis collectae in quendam statutum cylindrum medullarem qui basis fornicis vocatur concentrantur, et exinde quoad plurimam partem super thalamos nervorum opticorum se conjiciunt; ita totum cerebrum tam medullare quam corticale radiorum visus particeps redditur.

Quod nulla glandula corticalis sit, quae non ocellum quendam internum seu oculi instar repraesentet, nam glandula in ultimo termino fibrarum est, proinde in ultimo modorum et radiorum tam visus quam auditus.

Radii visuales seu imagines visus cuivis glandulae corticali mutationem status tam externam quam internam inducunt, sicuti modi sonori auditus toti cerebro; nam glandula corticalis est cerebrum in minima effigie, et sensationem visus recipit, prout integrum cerebrum sensationem auditus.

Quod radii visuales eorumque figurae et formae, seu imagines glandulam corticalem ejusque superficiem percurrant, seque secundum ejus formam perfectissimam seu vorticalem sinuent, et quod haec sinuatio et mutatio communicetur omnibus ejus fibris et vasculis, quae glandulae fabricam concinnant, proinde cum tota glandula.

Sed quia glandula corticalis perfectius adhuc quam oculus se ad omnem varietatem objectorum visualium recipiendam disponit, sibi ex propria potentia inducit mutationem, seque in aliam et imagini alluenti convenientem formam; haec mutatio quae est actio ipsius mentis seu animae, sensationi visus ut pas-

sioni correspondens producit id quod idea imaginationis vocatur, et quae pars est memoriae, quia reproducitur quoties glandula eundem statum iterum induit.

Hac ratione imagines visus excolunt et producunt imaginationem, quae est sensus visus internus; nec quidem quod imago visualis ipsam hanc mutationem inducat, nam glandula ad appulsum radiorum modo patitur, sed quod ipsa ex interiore potentia active concurrat; ita acquiritur correspondentia, quod talis status mutatio tali imagini correspondeat. Exinde fluit, si imaginatio fortis sit, et in uno objecto haeret, ut et cogitatio, ex qua interior potentia activa profluit, quod tunc imagines visus non nisi quam levissime sensorium commune stringant, et vix nisi obscure appercipiantur, sic ut imago visualis non nisi quam superficialem quandam mutationem absque mutatione status essentiali inducat.

Quod omnes voces quae audiuntur etiam videantur, quod omnes imagines quae videntur etiam percipiantur et fiant ideae, et quod omnes ideae quae percipiuntur etiam intelligantur, unde ideae rationales seu intellectuales; qua ratione objecta sensuum externorum in objecta sensuum internorum transeunt.

Quod translatio radiorum seu modificationum aetheris, fiat per formam spiralem, uti translatio modorum soni per formam circularem, et quod fibrarum medullarium et nervearum fluxio etiam sit spiralis, ideo radii visuales dum a circumfluo aethere per oculum ejusque retinam, in fibras nervi optici influunt, per similis formae fluxionem usque ad glandulas corticales facili potentia et naturali sponte fluunt. Sed quod in glandula corticali in superiorem quandam formam seu in corticalem eleventur, dum scilicet circum ejus superficiem et per ejus compagem, quae formae est vorticalis, se consinuant.

Quod glandula corticalis ex sua anima, quae inest, et est ordo, lex, veritas, ipsaque forma, sentiat num imago simplex vel composita sit harmonica; quod harmonicum est, convenit cum ipsa ejus forma, quam imago percurrit, disharmonicum vero disconvenit, nam situm, nexum, ordinem, formam, verbo statum totius glandulae tam externum quam internum stringit, laedit, diruere conatur; unde aversatio, horror, injucundum, illaetabile, et tandem triste.

Quod generi humano deficiat sensus interior, quo animalia bruta instructa sunt, scilicet sensus plagae, seu ut resciant quae plaga mundi sit, per quam viam domum reditura, sua prata et fluvios renactura, quod norunt licet per aliam prorsus viam nec prius tritam et odoratam gradiantur: adeo ut sint tanquam magnetes vivi; talis sensus ex forma ipsarum glandularum corticalium oritur, quae verticalis est, quae forma per fluxionem substantiarum excitari nequit absque determinatione polorum, circulorumque majorum et minorum, qualis conspicitur in systemate magno; sed quod homines tali sensu careant, in causa est intellectus seu quod superiore quadam perceptione gaudeamus, quae ipsam activitatem glandulis istis indit, ut sensationes visus rite appercipiantur, intellectus hic non est purus, sed mixtus, proinde non attendit ad minima momenta objectorum visus, et ex voluntate, non autem ex natura seu intelligentia naturali glandulae suae statum regit; hinc talis sensus non potest non deesse homini, et adesse brutis, quae nullo tali intellectu pollent.

De

Perceptione, imaginatione et memoria, earumque ideis.

Voces quae audiuntur illico tanquam videntur, voces enim totidem repraesentant formas, quantitates, qualitates, motus, accidentia, quae visui solent obvia esse; quae vero videntur, illa etiam quodam visu interno seu imaginatione capiuntur, id est, percipiuntur; quae vero imaginatione percipiuntur, illa etiam ab homine intelliguntur: ita modi sonorum seu auditus transeunt in imagines visus, hae autem in ideas imaginationis, quae etiam materiales vocantur, hae iterum in ideas rationales seu in totidem rationes, ex quibus analytice connexis exsurgit intellectus: talis est sensationum progressio ab externis ad internas, ex quibus differentias licet colligere.

Ergo imaginatio est visus internus, qui correspondet visui externo, oculus enim est modo organum et instrumentum visus, ipse genuinus visus residet in cerebro seu in sensorio communi,

quo laeso, turbato, obstructo nihil amplius videt oculus, ut et ipsa imago, quae interdiu repraesentata, clausis oculis vel in somno resuscitatur, tanquam in ipso oculo existeret.

Partes visus externi vocantur imagines, partes autem visus interni dicuntur ideae, et quidem a quibusdam materiales, nam non repraesentantur dissimiles imaginibus visus, modo quod alio ordine, et nexu dispositae sint, quae autem sit differentia, ex sola comparatione illustratur.

Visus externus modo figuras objectorum contemplatur, ut palatii parietem unum post alterum, ejus tecta, imbrices, fundamenta, conclavia, picturas, tapetas, thronos, et duces ministrosque qui incolunt, visus autem internus omnia simul, quae successive et tractu temporis oblata sunt oculo. Visus externus lustrat in urbe unam domum post alteram, plateas, vicos, aedes, monumenta, senatum, incolas, at visus internus omnia simul quae successive et tractu temporis oculo oblata sunt. Visus externus universum coelum stelliferum cum sole, sideribus, planetis, lunis, meteoris, nubibus, et caetera contemplatur, sed successive unum post alterum, haec omnia imaginatio simul comprehendit, ac totius coeli visu percepti formam intuetur; ita etiam in caeteris. Ita visus externus non capit nisi partem objectorum unam post alteram, at visus internus partes singulas visui objectas simultanee, adeo ut momento queat palatium, urbem, coelum percurrere, et contemplari in uno composito quodcunque particulatim oculo repraesentatum est. Ita complexus unius a complexu alterius infinite distat, adeo ut quoddam quasi infinitum aut perpetuum superadditum sit, qualiter in superiore forma respective ad proxime inferiorem: ex his consequitur quod visus internus seu imaginatio sit gradu proxime superior, prior, interior, simplicior et perfectior visu externo.

Quod imaginatio seu visus internus sit gradu proxime superior et perfectior visu externo, etiam apparet ex ipsis organis; organum visus externi est oculus, organum autem visus interni est glandula corticalis, cumprimis cerebri; glandula haec corticalis est oculus et cerebrum in minima effigie, sed usque est organum gradus superioris, nam forma ejus secundum descriptionem est vorticalis, proinde naturae purioris, perfe-

ctioris et simplicioris, quam forma organi visus, cujus radii et modificationes per formam spiralem, quae forma vorticali proxime inferior est, insinuantur.

Visus internus seu imaginatio existit in glandulis corticalibus; et quidem in singulis, adeo ut unaquaevis illarum sit pars seu symbola istius sensus seu imaginationis; ipsa varietas glandularum harmonica efficit, ut nulla differentia in aliquo objecto detur, quae non distinctius in una et obscurius in altera et vicissim comprehendatur; nam quo plures oculi, eo distinctior visus, consequenter quo plures glandulae corticales, eo distinctior imaginatio: praeter quod communis omnium causa ipsas partes ut id in commune conspirent, perficiat.

Ipsae imagines visus secundum fibras nervi optici usque ad universas glandulas corticales cerebri elevantur, ad quas dum perveniunt, illas ocissime, imo totam illarum compagem fibrosam et vasculosam subtilissima quasi contremiscentia percurrunt, sic ut tota glandula imaginis et phaenomeni visus conscia reddatur. Ipsa glandula quae est organum visus interni seu imaginationis se illico ad receptionem objecti perfectissime disponit, et quidem multo perfectius quam oculus seu organum visus externi, ita glandula ista mutationem status subit, quae proxime correspondet imagini seu objecto influenti, sive enim se contrahit, sive expandit, sive in formam perfectiorem redigit, sive in imperfectiorem torquet, quicquid enim harmonicum intrat, id exhilarat et expandit hoc sensorium, quicquid autem disharmoniam allicit, id comprimit et torquet, prorsus ut in fibris et organis tactus. Ipsa haec mutatio, quam recipit et ad quam se glandula ad appulsum cujusvis imaginis visualis disponit, vocatur idea, nam amplius non potest dici imago; participat enim de quadam forma superiore et perfectiore, ut et de intelligentia; hac ratione vertitur et transit imago visualis in correspondentem ideam imaginationis, seu visus externus et inferior in visum internum et superiorem.

Ex his apparet, quod naturalis quaedam correspondentia inter imaginationem et visum ocularem intercedit, nam harmonia naturaliter expandit organum atque in perfectissimam suam formam redigit, disharmonia vero comprimit et in formam imperfectiorem torquet; et sic modis infinitis secundum

omnem qualitatem objecti, prout a forma perfectiore et imperfectiore participat.

Percipitur objectum seu imago, ut primum ad sensoriola haec seu ad cerebrum corticale appellit, ipsa subtilis vibratio, contremiscentia et mutatio prima in dictis glandulis id producit quod sensatio *visus* appellatur, nam visus non existit in oculo, sed in sensorio communi: quando enim modificatio percurrit ipsam glandulam, et in ipsa formam agit perfectissimam, et simul fibras simplices, quae sunt totidem radii intellectuales animae, non potest non quin sentiatur illud quod singulas fibras tangit, et momento percurrit; sed hic visus est superficialis, nec dum perceptio appellandus.

Sed quid proprie sit visus, quid perceptio, imaginatio, memoria, imago, idea, et quae illorum differentia, docendum est: sed in limine observandum, quod omnia haec in uno organo seu sensorio, id est, in substantia corticali peragantur.

Visus in hoc sensoriolo existit, quando variegationes modorum seu modificationum aetheris, quae sunt discriminationes umbrae et lucis, aut nigri et albi, unde colores, ad sensoriolum hoc appellunt, et ejus superficiem, utramque ejus substantiam simplicem corticalem et medullarem, fibrillarem nimirum et vasculosam permicant, et sensoriolum hoc ad talem modificationem recipiendam disponunt, nec tunc alios status percurrit, sed simpliciter in statu influenti modo conveniente permanet, tunc existit visus, cujus mutationes in hoc sensoriolo seu exiguo cerebro non aliae sunt quam objectis visus conformes. Partes visus dicuntur *imagines* ut et *objecta*.

Imaginatio vero est quando sensorium diversos status percurrit, statu primo seu objecti, qui communis et quasi basis est reliquorum, conservato; ita dum caeteri percurruntur, ad illum tanquam ad suum commune referunt, et cum illo affines et similes sunt: innumeri enim status dabiles sunt, tam universales, quam speciales et individui, sub quolibet universali sunt infiniti singulares, seu in uno communi sunt infiniti particulares, quae ejus singulae partes vocantur, nec possunt non symbolam suam ad quandam communem formam conferre, nam sub communi, quam constabilire parant, subsistunt.

Partes imaginationis non vocantur imagines, sed *ideae*,

nam simul sumtae aliquam formam constituunt, quae prope ad rationalem accedit, sed non est rationalis: in imaginationem non intrant nisi similia et convenientia, quae omnia ideae particulares sunt; ex his excitatur idea composita, quae iterum tanquam pars est ideae ulterius componendae.

Quando imaginatio peragitur, tunc cessat visus externus seu ocularis, seu ab illo absceditur, nam objectum visus tunc manet tanquam basis reliquorum, et per versationem comparantur et conferuntur, quae cum illo affinitatem habeant: ideo imaginatio oculis clausis, et in tenebris fortior est, inque lumine intenso debilior.

Quando imaginatio ita operatur, ut per similium nexum ordo quaesitus obtineatur, vel quando inveniri videtur, et agnoscitur quod conveniat, id dicitur *perceptio* seu sensatio interna. Percipitur enim id quod videtur aut sensu capitur: ad perceptionem requiruntur plura alia quae congruant, quorum ope objecti qualitas cognoscatur.

Memoria est omne illud quod imaginatione producitur, seu ipsa status mutabilitas; ipsum enim sensorium non nisi potentiam mutandi status a nativitate trahit, ut autem induat status diversos, opus est sensationibus, quae sensorium stringant, et in mutationes vi quadam ferant: singula haec mutatio permanet sic acquisita, et cognoscitur ex impressis imaginibus qualis sit, proinde mutatio singula, quae inest potentia, est pars memoriae, at vero singula mutatio, quae sit acta, est pars imaginationis: ideo ideae memoriae eaedem sunt ac ideae imaginationis, sed non reproducuntur nisi per actualem mutationem, proinde imaginatio quadam ratione appellari potest memoria activa.

Ipsae mutationes status per usum, cultum, consuetudinem, illapsu sensationum, acquirendae sunt; ipsum sic sensorium assuescit et discit in dies plures mutationes status subire, et sic memoriam suam ditare; omnis mutatio semel acquisita remanet sub nomine memoriae, et praesens sistitur, quando sensorium in ipsam illam mutationem redit.

Ex his jam induci potest, qualis est imaginatio, qualis memoria, et quid idea, quomodo visus in imaginationem [transeat], sic quale sit commercium.

Ipsa vero bruta animalia non solum in naturalem suam me-

moriam, sed etiam in imaginationem, seu in mutationem status sui sensorii nascuntur; perfectis enim membrorum sensationibus et potentiis agendi illico consistunt.

Ex his jam sequitur, quod nulla dari queat idea imaginationis, quae non sit in memoria, et nulla idea memoriae, quae non fuerit in sensu, proinde quod omnes partes imaginationis a sensibus solis insinuentur: consequenter quod tam magna dari queat imaginatio, quanta est memoria, et quod tanta memoria, quanta experientia sensuum.

Sed quia similium ordo, harmonia, forma non dependet ab hoc sensorio, sed ab intellectu superiore et puro, sequitur quod aliquid plus ad imaginationem requiratur, quam sola memoria; ut enim evocata rite cohaereant, id non est memoriae, sed est ipsius intellectus puri seu animae, cui naturale est intelligere harmonias et ordines rerum. Proinde qualis communicatio est intellectus puri cum imaginatione, talis etiam est imaginatio: seu quod talis dari queat imaginatio, qualis datur communicatio intellectus puri cum ideis memoriae; sed de his ubi de cogitatione.

Talis ordinatio partium memoriae non venit a sensu, sed ex intellectu puro et sic ex anima, quae est ordo, amor, veritas, lex, norma, sui systematis; sed ipsam hanc ordinationem confundimus cum ideis, seu determinationem et ordinem partium cum ipsis partibus; et quia ordinem animadvertimus naturalem seu innatum esse, credimus etiam ideas esse innatas.

Imaginatio pura est modo comprehendere et simul complecti omnia illa quae sensibus obvia fuere, et quae memoriae inhaerent, qualis est in brutis, in noctambulis, in puerulis, quorum imaginatio nondum ab intellectu puro bene dirigitur et ordinatur.

Apparent nihilominus rationales et intelligentes, qui ex sola memoria, experientia, scientia aliorum loquuntur absque nexu et intuitione rerum propria, et absque ordinata dispositione; mentiuntur intellectum coram illis, qui ipsas partes nesciunt quales sint aut num sint, seu coram illis qui adhuc minus queunt ideas in formam imaginationis verae combinare.

Imaginatio perfectior est, quo quis ideas suae memoriae plures et una similiores et convenientiores potest reproducere,

et ab his in campum aliarum idearum illabi, et sic mutare status suos communes in similes seu alios communes, et partes cujusvis elicere, et singula in formam decentem disponere, ut idea composita prodeat quae naturae ordini conveniat. Si contrarium accidit, est defectus, irregularitas, hebetudo, vel ex ignorantia, vel ex impotentia mutandi status seu reproducendi ideas, illas rite coordinandi et subordinandi, vel ex privatione communicationis intellectus puri cum ideis memoriae, et ex plurimis aliis causis oriunda.

Quod nulla loquela possit ex sola imaginatione proficisci; ad hanc enim requiritur intellectus et cogitatio, nam singulis vocum compositionibus aliquid intellectuale, analyticum et philosophicum, imo spirituale inest.

Quod omnis imaginatio protenus desinat, ac glandulae corticales privantur facultate mutationes suas peragendi, ut quando refrigescunt, sicuti in quibusdam morbis, in catalepsi, morsu tarantulae, saltu Viti, jactura memoriae; privantur hac facultate quando suo affluxu sanguineo, obstructu subito, vel exinanitis vasis, vel ei negato reditu in venas et sinus, quando fibrae flaccescunt, glandulae suum tonum amittunt, cum vicinis concresunt, humore lentiore inspissantur.

Status enim sensorii internus dependet a determinatione corticis simplicis, ejusque fibrarum tenuiumque vasculorum, piissimae meningis circumductae, ipsius folliculi, tum humoris perfluentis. Status vero sensorii externus a connexu cum vicinis per tenuissima licia fibrillaria, perque ramificationem arteriosam, communiter per piam meningem, ex insertione vasculi et productione fibrae. Status autem externus seu adhuc remotior ex vasis arteriosis cerebri, ex sanguinis qualitate, ex liquidis extra vasa, ex sulcis et rimis inter congeries corticales, ex substantiae medullaris nexu, complicatione et tensione; ex venis et sinubus, ex dura meninge, ex forma totius cerebri, ejusque nexu cum cerebello.

Qualitates memoriae et imaginationis sunt diversissimae: quot enim capita, tot diversitates, sunt qui felicis sunt memoriae, et imaginationis, sunt qui tardi sunt, quorum memoriae objecta tenacissime inhaerent, et quae repente dissipantur, sunt qui post multum temporis actorum reminiscuntur, etsi omnium

quidem varietatum causas non pernosse possumus, nisi internum glandularum corticalium et formarum perfectiorum statum rite cognoscamus: omnium quidem ratio potest reddi, et ab experientiae phaenomenis confirmari; sed hic satis est generalia praelibare, ex supra memoratis liquet unde diversitates suam originem ducant.

Ipsa imaginatio vacillat, inebriatur, insanit, quando spiritus animalis et sanguis purior, qui folliculum glandulae percurrit, particulis heterogeneis, punctoriis et inconvenientibus obstipatur, tunc enim glandula intus pungitur et exstimulatur in alios status, quam qui per sensationes inducuntur; inde inebriatio vel insania ebria; tales impulsus et tactus sive intus sive extus contingunt, usque ex statu suo naturali deturbatur glandula.

Ipsae *inclinationes*, in quas nascimur, etiam inde suam originem sumunt, scilicet quod nascamur poëtae, musici, architecti, mechanici, et plura quae plus ab imaginatione quam ab intellectu pendent; sunt enim quorum sensoriola magis ad haec quam ad illas status mutationes inclinent et faciliores sint, et natura duce has ideas promptius arripiant et reproducant quam illas; hoc ab ipsa forma sensorii seu glandulae, et forma a cortice simplici, hic autem ab anima scaturit [et] dependet.

Visus internus acutissimus est, et quasi residet in vertice cerebri, ibi enim est cortex distinctissimus et frequentissimis rimis circum septus, adeo ut ad omnem modum omnemque statum induendum disponi queat; non item alibi in cerebro, minus in cerebello, in quo communis et proinde indistincta sensatio. Universale enim absque singularium distinctis viribus, est obscurum, de quo imaginatio praedicari nequit.

De

Intellectu puro.

1. Antequam de intellectu mixto seu de cogitatione et mente nostra rationali, de intellectu puro agendum est, nam cogitatio est quasi media inter intellectum purum et imaginationem, et quodammodo de utroque suam essentiam trahit; ex-

ploranda enim sunt priora et posteriora seu extrema quae utrinque ingrediuntur, ut natura medii seu mixti innotescat.

2. Est quaedam substantia corticis cerebri analoga in unaquavis glandula corticali, ex qua fibrae simplices, uti ex glandulis corticalibus fibrae medullares seu compositae oriuntur, nam glandula corticalis, quam sensoriolum internum vocamus, est cerebrum in minima effigie.

3. Hic cortex simplex, seu haec substantia corticalis simplex, est eminentissimum illud organum intellectus puri; tantum enim perfectione sensorium illud imaginationis seu perceptionis, id est, glandulam corticalem excedit, quantum haec ipsum cerebrum; seu quantum visus auditum; ipsa enim ejus forma est superior et quidem suprema naturae, nimirum coelestis, quae supra descripta est; quaeque non aliam formam se superiorem agnoscit quam spiritualem, et quoniam haec substantia in fastigio ipsius naturae posita est, iisdem vocibus, quibus inferiores substantiae, minime potest significari, crassiusculae sunt quam ut adproprientur: ideo non cortex nec substantia corticalis, seu substantia corticalis analoga et aemula, nec organum nisi eminentissimum, nec sensorium nuncupari potest, non enim sentit, sed intelligit, quapropter illam in sequentibus *intellectorium* appellabo.

4. Ab hoc intellectorio dependet sensorium, seu ab intellectu puro sensatio; nulla enim sensatio nec sensationis perceptio datur, nisi ab interiore aut superiore potentia intelligatur quale sit quod percipitur, nam ipsae minimae differentiae quae [cuivis] ideae insunt, et inter singulas ideas existunt, non nude queunt sentiri et percipi, erit intellectorium quod judicet et dictet, quod haec idea conveniat disconveniatque, et cum consorte alio, et cum pluribus quae affines vel similes sint, congruat, ut agnoscatur quid harmonicum sit, analyticum, jucundum, verum, bonum sit. Proinde nulla foret cogitatio absque intellectu puro, minus imaginatio, et sensatio. Ipse organismus corporis ab intellectorio suo seu sensorio intimo similiter dependet, absque cortice simplici nullus datur cortex compositus, qualis est cerebri, a cortice enim simplici oriuntur fibrae simplices, quae ipsam glandulam per determinationes suas struunt: absque glandulis corticalibus nullum existit cerebrum; absque

cerebro nullum sensorium visus, auditus, gustus, olfactus, tactus, proinde nec corpus: Ergo omnia respiciunt intellectorium hoc seu intellectum hunc purum ut principium et simul ut sui originem, ad quam singulae operationes se referunt.

5. Hoc intellectorium non aliam formam supra se agnoscit, quam formam spiritualem, id est, ipsam animam, seu formam animae; proinde intellectus purus non agnoscit supra se nisi intelligentiam puram, quae est animae, quia haec est spiritus. Consequenter non confundere debemus intellectum purum cum intelligentia, seu intellectorium cum anima; intellectorium enim, cujus forma est coelestis et prima naturae, nihil ex se potest intelligere, sed ab essentia vel forma spirituali, quae sola intelligit, et proxime sequentem intelligere facit: ita liquet, quod anima nostra altius reposta sit, quam mens nostra rationalis queat percipere: credimus enim cogitationem esse supremam et propriam ipsius animae potentiam, sed super cogitationem quae nusquam nisi impura et mixta datur, est cogitatio purior; et quod supra hanc ipsa intelligentia spiritualis; supra vero hanc datur sapientia, quae est divina, non autem humana, intelligentia enim a solo spiritu divino et sic a Deo suam sapientiam trahit.

6. Nascitur itaque hoc intellectorium ab ipsa anima, illius scilicet forma ab hujus determinationibus essentialibus; sed qualis sit haec forma post animam prima non facile verbis exprimitur, quia attributa et potentiae istius formae sunt supra vocum communium sphaeram, voces enim exprimunt solum ea, quae in natura sunt et intra naturae gyrum, non vero suprema et proxima essentiae spirituali. Quae est ratio quod de Intellectorio loquendum sit per voces universalissimas, et sic parum intelligibiles, quales in se sint, et quod dicitur explicandum per vocum ambages et ideas aliquoties in se ductas, harum beneficio aliqua obscura notio comparatur, sed clarior in excultis et judicio profundiori instructis.

7. Non dubitari potest, quin tale intellectorium, vel intellectus purus existat, is enim se in singulis partibus nostrae cogitationis et loquelae evidenter manifestat, quibus proxime adest, et intime inest: ipsas enim ideas memoriae visualium non absimiles redigimus momento in talem ordinem, formam

et harmoniam, ut analysis quaedam rationalis inde resultet, quae num vera sit aut falsa, a quadam intellectu nostro cogitatione puriori agnoscitur. Sensationes enim non alia objecta suppeditant, quam quae sint partes imaginationis, at illas in formas analytice redigere, et sic novas formas, quae iterum sint partes cogitationis sublimioris, concipere et excludere, inque illis veritates, verisimilitates et probabilitates ex solo nexu et ordine intueri, non est sensationum, sed intellectus puri, nec est ipsius cogitationis, cogitatio enim est quae in talem formam redigitur, et sic resultatum ex intellectu, qui prior sit, et cogitationis ideas intellectuales seu rationales producat. Tale intellectuale, analyticum, philosophicum, imo spirituale inest cuivis sententiae et cuivis sermoni etiam pueruli, qui momento perfectius philosophice, dialectice, logice, grammatice loquitur, quam artificialiter et scientifice universa schola peripatetica et Pythagorica, quae est ratio, quod nos ipsas scientias philosophicas, ut ipsam Logicam, caeterasque theoreticas ex ipsis nobis et nostrarum cogitationum sermonumque intima perlustratione, tanquam anatomici notitiam corporis ex inspectis visceribus, addiscamus; quare nobis intime inesse debet talis intellectus, qui regulas et leges praescribat singulis nostrae mentis operationibus, quae nos aeque latent, ac forma cerebri, cordis, ventriculi, illum, qui nondum viscera perrimatus est; ipsa ideo scientia philosophica est anatome quaedam mentis, cujus etiam medicina inquiritur. Exinde sequitur, quod nulla cogitatio, proinde nulla loquela absque intellectus talis influxione, existere queat.

8. Operatio hujus intellectorii, seu hic intellectus non potest non esse purus, quia ejus forma ab animae determinationibus essentialibus nascitur, determinationes istae sunt totidem radii spirituales seu intelligentiae purae, forma ex solis radiis spiritualibus perfectissime determinatis fluens non potest nisi purum aliquod intellectuale spirare, sed qualis sit haec forma, per comparationem cum forma sensorii interni et hujus cum forma cerebri quidem percipi tametsi non describi potest. Indagatur tamen analytice per solam perfectionum elevationem a gradu inferiori ad gradum superiorem, et adjectionem cujus-

dam perpetui et infiniti, secundum doctrinam ordinis, graduum et formarum, cujus leges supra tradidi.

9. Ut ergo exprimatur, qualis sit intellectus purus, ad voces universales, ut dictum, recurrendum est; est enim ille ipsa sui corporis natura, et ipsa scientia rerum naturalium quae infra illam existunt; dum enim intellectus purus agit, ex se agit; id est, ex ipsa natura et scientia, omnia enim in actum intuitioni ejus convenienter fluunt; prius enim non se informat, quomodo et quando actum sit, sed ex se et in se novit mensuras, leges, regulas, veritates, et caetera quae deprehenduntur inesse, sed imperfecte, cogitationi, imaginationi, sensationi externae, actioni, singulis organis, in quibus omnibus quicquid intimum et abstrusissimum in scientiis latet, ut in Philosophia prima, in Logica, anthropologia, dialectica, physiologia, physica, geometria, mathesi, mechanica, optica, acustica, chymia, medicina, jurisprudentia, ethica, grammatica, et caeteris cujuscunque nominis; harum scientiarum exemplar et complementum in universo nostro systemate organico, et singulis ejus membris, partibus, operationibus manifeste contemplamur; quae omnia non ex se confluere, nec subsistere queunt, sed a quadam causa efficiente, cui talis scientia inest, seu quae sit ipsa scientia, ordo, veritas, harmonia et forma formarum, quae omnes sunt voces illae universales, quae intellectui puro competunt. Ita intime in nobis possidemus rerum omnium naturalium perfectissimam cognitionem, sed sollicite quaerimus, quomodo nos aliquam scientiae ejus aut penitus nostri partem conscire et ab umbra quadam in lucem protrahere queamus. Ita intellectus hic purus vocari potest scientia scientiarum naturalium, singulae enim scientiae sunt partes alicujus scientiae universalis, quam philosophiam et mathesin universalium appellavimus, ab hac enim intellectus purus in singulas partes, quousque velit, descendere potest. Ita apparet quod de intellectu hoc puro non nisi quam abstracte et obscure loqui liceat.

10. Intellectus hic purus simul comprehendit, quae cogitatio seu mens nostra rationalis successive, praemissa scilicet et antecedentia simul cum consequentibus, prout in concluso seu in aequatione analytica: principia et causas simul cum prin-

cipiatis, causatis et effectibus, intuetur enim omnem effectum in ipsa causa efficiente ut jamdum existentem, sic omne formandum ut formatum, et omne formatum ut formandum, nec haeret in excogitandis mediis, omnium enim tenet complexum; solus defectus causarum instrumentalium ejus actum remoratur; contemplatur etiam omnia praeterita ut praesentia, et simul futura, quae scilicet a nexu et secundum ordinem naturalem fluunt. Ideo de operationibus hujus intellectus non praedicari possunt momenta et gradus, ita nec tempus, spatium, locus, motus, celeritas et plura, quae successionem et distantiam ponunt; nam ejus forma est prima naturae, ex qua ut a suo principio naturae accidentia et qualitates descendunt, aut sub illa oriuntur. Forma enim coelestis complectitur, et quasi in se existentes contemplatur omnes formas sequentes, quando operari incipit.

11. Intellectus purus nihil ut verisimile et probabile, sed vel ut verum vel ut falsum, et quantum vel a vero vel a falso distat, perspicit; proinde omnes ejus ideae sunt totidem veritates naturales, exque ipsis veritatibus falsa et fallacias, tanquam oculus ex lumine umbras, distincte videt. Idcirco ejus operationes ex totidem veritatibus inter se connexis, unde veritas universalis exsurgit, constant. Quae est ratio, quod intelligentiores, seu quorum cogitatio aut analysis rationalis propius ad intellectum hunc purum accedit, plures propositiones ut veras aut falsas illico intueantur et agnoscant, et quidem absque demonstratione a posteriori, effectibus, experientia, logica artificiali, et scientiis scholarum, imo persaepe in tantum, ut indignentur quod mens demonstrare velit, quae omni demonstratione in se clariora, certiora, veriora et superiora sunt; talium demonstrationum tentamina tanquam totidem crepusculares umbras, quae non illustrant, sed potius obscurant, considerant. Ejusmodi sumus quando purae intelligentiae seu animae, tunc enim ludos literarios ut ludos infantiles, et universam logicam syllogisticam tanquam puerorum par impar ridemus.

12. Intellectus purus, cujus est scire universam naturam, et ex se intueri et nosse omnia ejus arcana, non potest instrui a sensibus internis, minus ab externis, ipse enim intellectus pu-

rus omnes sensus tam internos quam externos ad omnem ideam suae naturae formavit, et ante usum organis recipientibus instruxit; consequenter talis intellectus, qui prior est sensibus, nequaquam potest acquiri, excoli, perfici, sed permanet similis a primo stamine vitae ad ultimum, proinde tam perfectus est in embryone et infante, quam in adulto et sene, in Davo quam in Oedipo, in insano et stupido ac in principe Philosopho. Intellectus qui instruitur et perficitur est proxime infra intellectum hunc purum, ille vocatur ratio humana, tum etiam mens rationalis, ejusque operatio est cogitatio, quae nusquam pura, sed mixta est, seu plus ex ignorantia quam ex intelligentia trahit. Haec in causa sunt, quod lis orta sit inter Eruditos, num ideae connatae sint, num vero omnes acquisitae, sive num aliquid in intellectu existat, quod non prius fuerit in sensu; utraque propositio suos nacta est defensores: exstant enim indicia cujusdam intellectus innati, et reperiuntur ideae omnes connatae, ipsa vero dispositio et ordinatio idearum, ut inde analysis existat, non potest connasci, nam id purum intellectuale est; at vero ipsaemet ideae, quae ordinantur, nullae dari queunt nisi connatae: exhinc sequitur quod utrumque verum sit.

13. Ex his etiam liquet quod intellectus purus nequaquam possit suas ideas, seu veritates universales per aliquam loquelam exprimere seu expedire, loquelae enim partes sunt totidem ideae, imagines, formae, quae per viam sensuum acquirendae sunt, et quae longe infra stant: sed intellectus purus suas analyses simplices et universales per simulacra, qualia visuntur in somniis, tum etiam per parabolas et similitudines, imo per fabulas quales antiqui in aevis aureo proximis, repraesentat; nam talia simul continent non modo res singulares, sed communiter omnes quae ad eandem veritatem spectant; haec debet mens nostra tanquam sortes oraculorum interpretari et evolvere; obscura enim sunt nostro intellectui omnia illa; in intellectu puro luce clariora sunt, nam praecipue in ipsis veritatibus caecutimus.

14. Sed non facile cogitatione percipitur, qualis sit intellectus purus, ideo etiam ambigitur num sit; ipsa enim cogitatio non comprehendit quod supra se est, seu quod purum est, quia

ipsa non est pura, sed mixta: id quidem comprehendit, quod ubi mixtum, ibi erit purum, cum quo mixtum sit, seu quod in cogitationem nostram, in qua tam intelligentia quam ignorantia, seu tam lumen quam umbra regnant, influat a superiore quoddam intellectuale, quod sphaeram cogitationum illustrat, et facultatem cogitandi indit, hoc enim sensationes corporis nequaquam efficere possunt; tum quod in eandem ab inferiori influat id quod non intellectuale est, unde miscela intelligentiae et ignorantiae, hoc est intellectus noster mixtus, seu cogitatio. Ipse vero intellectus purus est medius inter intelligentiam spiritualem animae et inter cogitationem nostrae mentis rationalis: ut ergo percipiatur qualis sit intellectus purus, inquirendum est, qualis est anima, et qualis mens rationalis, tum etiam qualis est influxus utriusque; de singulis actum est, sed juvat brevis recapitulatio.

15. Anima est intelligentia pura, et essentia ac forma spiritualis, proinde proxime supra intellectum purum, cujus essentia et forma est prima naturae, seu coelestis: ipsum enim intellectorium non potest nisi ex animae determinationibus essentialibus formari, quot determinationes tot radii luminis spiritualis, nam ejus intelligentia non est naturalis, sed spiritualis, et ejus scientia non est philosophica, sed metaphysica, pneumatica, ac ut ita dicam theologica, ex hac proficiscitur quod prima ejus proles sit intellectus purus, cujus est praesentissime et ex se et in se scire omne id, quod naturale est. Ipsae *ideae animae* sunt *veritates spirituales; ideae* vero intellectus puri sunt *veritates primae naturales;* ideae nostri intellectus dicuntur *rationes;* ideae vero memoriae seu imaginationis sunt proprie *ideae:* ideae visus sunt *imagines* et *objecta;* ideae auditus sunt *modi, modulamina, voces.* Talis est subordinatio idearum, quare omne spirituale, quod loquelae inest, est animae; omne vero intellectuale est intellectus puri, omne rationale est cogitationis, et sic porro.

16. Sed quaeritur, quomodo intellectus purus influat in sphaeram cogitationum, seu num sit influxus, aut num sit correspondentia et harmonia, id praecipue ex ipsa forma sensorii interni seu glandulae corticalis discimus; in illa enim continetur cortex simplex, qui intellectorium vocatur, sicuti in cerebro

substantia corticalis: cortex ille simplex est origo omnium fibrarum simplicium, hic vero seu cerebri, est origo omnium fibrarum medullarium et nervearum corporis. Ipse intellectus purus qui residet in memorato intellectorio seu cortice simplici, non potest influere in sphaeram cogitationum aliter quam imagines visus seu ideae imaginationis in modos auditus seu in loquelam, quod non est influxus, sed correspondentia; nam modi auditus, qui sunt totidem soni articulati et contremiscentiae, non nisi quam communiter movent et vibrant sensoriola, ipsum tunc sensorium illico ex usu et experientia novit, quid talis contremiscentia aut mutatio superficialis significet, proinde ejus ideae concurrunt, quod dicitur fieri per correspondentiam. Ita etiam intellectorium seu ejus intellectus purus, quando enim sensorium mutationes sui status peragit, tunc intellectorium communiter actum, seu, ut ita dicere liceat; in alium situm externe redactum, ex usu et experientia protenus intelligit, quid talis mutatio significet, ideo statim concurrit, sic non est influxus, sed correspondentia: sed de his melius infra, ubi de cogitatione et de commercio agitur.

De intellectione, cogitatione, ratiocinio et judicio,

seu

de Intellectu humano.

1. Cogitatio non datur absque imaginatione, quia non absque ideis memoriae, quae sunt tam partes imaginationis quam cogitationis, absque enim memoria cogitare non possumus; ita perarduum est distincte percipere, quid imaginatio, et quid cogitatio; quod tam in se distinctae sint, et distingui queant, apparet in noctambulis, qui apertis oculis et aliquali imaginatione, sed plerumque perversa, quia cogitatio non inest, vident; tum etiam in brutis animalibus, quibus non denegatur imaginatio, tametsi cogitatio; tum etiam in teneris fere infantibus, qui blaterare incipiunt, qui imaginata, non cogitata, loquuntur; iis similes sunt plures adulti, quorum unus prae altero meliori cogitatione et phantasia pollet; sed quia imagina-

tio inest cogitationi, et cogitatio imaginationi, credimus cogitationem esse perfectiorem quandam et excultam imaginationem, sed si haec separari, ut dictum est, non potuissent: dignum itaque est penitius inquirere, quid una et quid altera.

2. *Imaginatio* est solum visus superior et internus, peragitur quando singula objecta eo ordine quo visa sunt reproducimus, ut palatium et aedem cum omni ejus structura externa et interna, tum etiam caeterum apparatum, ipsosque dominos ministrosque qui inhabitant; absque alio nexu et ordine, quam visu vel auditu observata sunt: similiter urbes, provincias, regna, quae peragravimus, visus internus seu imaginatio haec collectim intuetur, quae oculus successive, tum ipsum corpus humanum ejusque singula viscera et partes, eorum situm et nexum, proinde totam anatomen: ita in caeteris, ut in singulis scientiis practicis, mechanica, physica experimentali, astronomia, imo etiam in scientiis theoreticis, quas memoria tenus didicimus et retinemus: ergo imaginatio est ipsa memoria rerum visarum auditarumque reproducta, earumque simultanea intuitio, absque progressione ulteriore in ea, quae nondum sensu capta sunt.

3. *Cogitatio* vero non acquiescit in solis ideis memoriae seu imaginationis reproducendis, aut objectis simul intuendis, quae successive visui externo oblata sunt; verum ulterius vadit, ex iis enim et ex similibus aliis successive percursis et repraesentatis novam quandam ideam nusquam visui prius oblatam sibi comparat et educit, et quidem per analysin quandam non absimilem analysi infinitorum, scilicet per regulas naturalis philosophiae, perque modum reductionis, transpositionis, aequationis; ipsa haec aequatio, quae sola mentis ope formata est, vocatur idea cogitationis, sic idea imaginationis est, quae per fores sensuum insinuata est, idea vero cogitationis, quae ex ideis imaginationis, quae instar numerorum in calculo sunt, ex propria mentis vi formatur; hae cogitationis ideae, quae vocantur rationales, intellectuales et immateriales semel formatae, licet admodum compositae, iterum tamen respiciuntur ut simplices ideae, vix aliter ac in algebraicis integrae aequationes, et in geometricis et arithmeticis integrae analogiae pro unitate sumtae; mens has suas ideas iterum in ordinem quendam aut

formam rationalem digerit et dispescit, et sic iterum novam ex his analysin et aequationem deducit, inde nascitur et formatur idea adhuc perfectius rationalis et intellectualis; ita perficitur cogitatio, fitque sublimior, et purior, et propius ad intellectum purum ascendit; eoque altius ascenditur, quo plures ideae in se ductae pro simplicibus seu veritatibus assumuntur, et ex iis inter se analytice digestis elicitur idea altior; aliter per loquelam aut usum vocum seu idearum imaginationis non possumus ad scientiam ipsius intellectorii puri elevari, nam ejus veritates sunt vocibus sublimiores, nec se exprimi, et nudari patiuntur nisi per elevatas et in se ductas vocum formas.

4. Talis itaque est cogitatio: ex cujus descriptione liquet, quae ejus intercedat cum imaginatione differentia: scilicet quod ideae cogitationis sint ab ipsa mente acquisitae; ideae vero imaginationis solum a sensibus externis: quodque cogitatio perfici et exaltari queat, ut propius ad intellectum purum accedat, imaginatio vero perficitur solum ab experientia sensuum tam propria quam aliorum, quaecunque enim memoriae symbolae sunt, sive per proprios sensus, sive per magistros, sive per literas, sive per tabellas, omnes tunc sunt ideae imaginationis, quia solius memoriae per sensus acquisitae; sed totidem sunt partes, et causae instrumentales, quibus frui potest mens rationalis, ut inde suas ideas intellectuales et analyses formet: exhinc sequitur, quod tantum intelligere queamus, non vero intelligamus, quantum memoria tenemus; nam in memoria latet potentia intelligendi, sed ex sola potentia nulla sequitur actio, proinde aliud quid accedere debet ut intelligamus, et adhuc plura ut sapiamus.

5. Cogitatio itaque est superior imaginatio; et prout imaginatio, etiam memoria datur superior; memoria inferior est memoria particularium omniumque istarum idearum, quae per viam sensuum tam visus quam auditus insinuatae sunt. Memoria vero superior est memoria generalium et universalium, omniumque istarum idearum, quae vi propriae mentis formatae et quasi creatae sunt, hae quoque se memoriae nostrae imprimunt tanquam sensui impressae forent, quando enim cogitamus, ipsa cogitata et cogitationum resultata pariter permanent infixa; sed haec memoria continet ideas rationales et intellectuales, et immateriales, at vero memoria inferior solum ideas rerum pure

5 *

naturales et materiales. Ergo datur memoria universalium et memoria singularium, et illa est cogitationis, haec autem imaginationis. Hae memoriae, si illas penitius intuemur, inter se distinctae sunt, dari enim potest memoria universalium larga, et singularium parca, ut et vicissim; nam memoria universalium in se comprehendit singularia, quae ut confirmationis symbolae facile queunt inde educi, aut se insinuare; ut itaque singularia decenter et ordinatim retineantur memoria, opus est, ut omnium universalium ideam formemus, quae ratio vocatur, ex illo ordine depromi queunt singularia: sicuti ex unica regula generali et scientia calculationis in arithmeticis, algebraicis, imo in caeteris scientiis theoreticis possumus infinita specialia et particularia proprio marte educere, et sic integrum librum, qui solum exempla particularium continet, momento percurrere, et omnia illico, sicuti ipse autor pernosse; scientia enim universalium comparari potest cum visu, qui ex turri aut edito monte contemplatur universam regionem et urbem subjectam et singula illa objecta uno quasi intuitu et complexu, quum ille qui infra et in vicis errat, non nisi aliquot partes successive, et sic vix nisi partem ex integra myriade, quam simul memoria universalium comprehendit.

6. Ergo imaginatio capit modo formam objecti vel objectorum, ejusque qualitatem secundum ordinem, situm et nexum partium seu idearum; cogitatio vero non ipsam formam partium materialem, sed ex tali forma, aut ex similibus formis inter se collatis sensum quendam non in partibus et in nexu partium conspicuum, sed penitius latentem, elicit; quare cogitatio dicitur intelligere, et imaginatio percipere; et idea cogitationis vocatur immaterialis, et idea imaginationis, materialis; ac intellectio est sensatio intima.

7. Cogitatio nusquam existere nec subsistere minus perfici potest absque intellectu puro; intellectus purus apparet tanquam in sphaeram cogitationum influeret, et lumine quodam intelligentiae illam illustrare, sed non est aliquis influxus, verum est modo concursus, correspondentia, aut harmonia constabilita, quo vero major, melior et perfectior concursus et correspondentia, eo etiam sublimior est cogitatio; sed antequam altius in arcana haec psychologica cogitationes nostras immittimus,

ipsas significationes vocum debemus explicare, seu quid sit intellectio, quid cogitatio, judicium, meditatio, phantasia, ingenium et plura.

8. Talis est progressus et cursus intellectus humani, nimirum quod audimus, id videmus, quod videmus id sensu intimo capimus seu percipimus, quod percipimus id intelligimus, ex intellectis cogitamus, ex cogitatis judicamus, ex judicatis eligimus, ex electis concludimus, ex conclusis volumus, et demum agimus; totus hic progressus vocatur intellectus communis, in quo sensus auditus et visus suas partes agunt: non autem caeteri sensus, ut olfactus, gustus et tactus; sed intellectus humanus seu homini proprius, est intelligere, cogitare, judicare, eligere, concludere, velle, et illis convenienter agere. Totus hic cursus quidem successive peragitur, sed plerumque absque observatis momentis et gradibus; ipsa haec velocitas vocatur *praesentia mentis* vel secundum alios *praesentia animi;* ast quando lentius, dicitur *absentia* et *tarditas*; dari potest praesentia imaginationis, non vero simul praesentia intellectus; ut et vicissim, nam unum distinctum est ab altero, uti supra notatum. Qui singula prompte percipit seu imaginatione capit, cum intellectus purus prompte sed leviuscule concurrit, is dicitur *ingeniosus*, et facultas illa *ingenium;* at vero qui prompte illa intelligit, quae percipit, et intellectus purus plene concurrit, id est, qui sublimiter cogitat, et convenientius ideis aut veritatibus intellectus puri res intuetur, is dicitur *judicio pollere*, seu ipsa facultas *judicium;* ita ingenium est perfectio imaginationis, judicium vero perfectio cogitationis; seu ingenium plus trahit ab imaginatione et sensibus externis, judicium vero plus ab intellectu puro; proinde ingenium est qualis intellectus animalium, judicium est qualis intellectus humanus; ingenium familiare est pueris, adolescentibus, sexui foeminino, poëtis, cantoribus; judicium vero adultis et senibus, viris, philosophis, aetate enim maturescit et crescit, decrescente ingenio; ad perfectissimum judicium non solum intellectus purus, sed etiam anima seu intelligentia spiritualis sui luminis radios communicat et confert. Partes intellectus humani seu cogitationis vocantur *ideae rationales*, seu simpliciter *rationes;* quando hae simul conferuntur et versantur, antequam ex illis certum judi-

cium est formatum, dicimur *ratiocinari*, ipsa illa leviuscula judicia, quae exinde formantur, dicuntur *ratiocinia*, ingenium itaque non judicia [,sed] ratiocinia formare. Quando haec ratiocinia per loquelam explicantur, omnis ille actus vocatur *discursus.* Sed specialius de cursu et serie partium intellectus proprie humani agamus.

9. *Intellectio* est superior perceptio, et sic intima sensatio; quando scilicet intelliguntur illa, quae visu interno percipiuntur; usus sum voce *intellectus*, quia est sensatio et species passionis, ut infra demonstrandum venit.

10. *Cogitatio* perceptioni proxime succedit, nam dum ideas memoriae, unas post alteras, particulares et communes, singulares et universales, aliasque similes et affines evocamus, tunc operatio ista proprie dicitur cogitatio, seu mentis in omnem partem aut ideam versatio et volutio: Cogitatio intentior et constantior uni objecto penitius infixa, vocatur *meditatio;* status et habitus meditationis appellatur *phantasia.*

11. Quando ideae seu rationes cogitatione versantur et volvuntur, tandem in formam cujusdam aequationis, in quam omnes analyses et analogiae rationales, inferuntur, vix aliter ac in calculo analytico infinitorum, haec aequatio dicitur *judicium;* cui duntaxat insunt illa, quae ad rem propositam spectant; quo itaque perfectior forma aequationis, et quo similiora et convenientiora ei insunt, eo perfectius est judicium; sed similitudines, convenientias, harmonias et veritates perspicere, est intellectus puri, proinde exactum judicium est, quando mens rationalis intellectum purum propius in consortium vocaverit.

12. Ex hac aequatione analytica seu rationali, id est, ex hoc judicio, in quod innumerae rationes et analogiae illatae et collatae sunt, ordine evocantur una ratio post alteram seu una analogia post alteram, ut enim sciamus, quid aequatio algebraica in se contineat, evolvendum est ordine unum post alterum, aliter nihil distincte percipimus, nec potuisset mens singula distincte in actum determinare seu exequi; ideo aequatio haec iterum resolvenda est antequam intelligitur, quid in sinu suo ferat; tota enim aequatio simul nequit evolvi, nam in illa successive ingressae sunt ejus partes seu analogiae, et ei simul insunt, ideo etiam successive evolvendae sunt; haec operatio

caret proprio nomine, nisi dicenda sit *electio*, quae quia libera est, coincidit cum *libero arbitrio* aut cum *libertate volendi* agendique, hoc enim arbitrium libere eligit et sic concludit, quid ex aequatione ista rationali seu ex judicio depromendum sit et in voluntatem remittendum, hac ratione dicendum est haec *conclusio;* complementum omnium est ipsa *voluntas*, hanc sequitur et huic inest *determinatio*, ex qua sequitur *actio*, et ab actione *effectus;* sed antequam concluditur ut aliquid ex intellectu remittatur in voluntatem, et a voluntate determinetur per actionem, adesse debet amor aut desiderium cujusdam finis, quae est ratio, quod de voluntate non prius quam de amoribus istis et desideriis agere potuerim.

13. Intellectus hic proprie humanus jam descriptus vulgo vocatur cogitatio, quapropter in sequentibus voce cogitationis intellectus usuri sumus; quaeritur itaque jam quomodo cogitatio ista peragatur, ex descriptione patet, quod peragatur similiter ac ipsa imaginatio, scilicet per mutationes status sensorii seu glandulae corticalis; sed mutationes status ejusdem sensorii dantur communes et particulares, generales, speciales et individuae, universales et singulares, communes illae, generales et universales, quae in se complectuntur particulares, individuas et singulares, sunt proprie cogitationes, ab ipsa enim cogitatione sunt inductae et formatae: status enim ita formatus, ut singula particularia primum obscure, postea distincte complectatur, non est status imaginationis, nam haec modo circa particularia et singularia versatur; quod infiniti status, et infinitae status mutationes, quot scilicet analogiae tam simplices quam compositae, et quot series analogiarum, et hae in se ductae dari possint, mens aegre potest concipere, sed quod dabiles sint, et actualiter repraesententur, id experientia confirmat; in facultate mutandi status ipsa perfectio entium superiorum consistit. Quando itaque glandula corticalis seu sensorium internum tot status mutationes potest induere, sequitur quod intellectorium seu cerebrum intimum, id est cortex simplex adhuc plures et quidem infinite plures queat producere. Exempli loco sumamus aliquas cogitationes in aequationem quandam redactas, tunc huic aequationi ut statui generali vel communi inesse possunt mille analyses, quapropter communis sensorii status

requiritur, qui omnes distincte comprehendat, quod animadvertitur ex ipsa loquela, exque scripturis, singillatim enim educitur una post alteram, et quo distinctius, eo aequationi isti distinctius inhaerent; nam singulas sub statu communi intuemur; quod tam evidens est, ut per solam reflexionem id comperiamus esse verum.

14. Sed quia dictum est, quod intellectus purus in cogitationum sphaeram non influat, sed cum cogitationibus seu cum mutationibus status concurrat, explicandum venit quo modo id actum consequitur; prius foveamus claram ideam de forma sensorii interni seu glandulae corticalis, scilicet quod sit cerebrum in minima effigie, suo simplici cortice, et sua simplici medulla, prout cerebrum magnum, sed perfectiore instructum. Mutatio status ipsius memorati sensorii interni nequaquam potest inducere aliquam mutationem status intellectorio seu cortici simplici, uti mutatio status integri cerebri non mutat statum singulae ejus partis; sed solum partium statum externum, scilicet earum situm, nexum et ordinem inter se; sed quia status externus convenit statui interno, scilicet quod status partium inter se non possit nisi consentiat aliquo modo statui partium interno seu in se, inde fit, quod mutatio status externi illico se prodat et manifestet, quod sit et qualis sit in statu interno; dum hujus mutationis conscius redditur status internus, illico appercipit quid significet, et sic concurrit, non aliter ac modi loquelae seu voces, quae percipiuntur auditu, illico quasi vertuntur in ideas visualium similes, non per influxum, sed per correspondentiam; nam licet una idea alia voce et alio sono articulato producatur, usque similis idea concurrit, id est sive eandem sententiam graece, latine, gallice, italice, anglice, suecice eloquimur, usque similis idea visualis concurrit; ergo ipse usus et cultus efficit, ut una idea alteri correspondeat, similis ratio est idearum memoriae imaginationis et cogitationis, et intellectus puri, mutatio status sensorii interna, est mutatio status intellectorii externa, sed ex mutatione status seu externa ex usu et experientia appercipit intellectorium, quid talis mutatio significet, proinde concurrit, et per concursum, correspondentem ideam intellectus puri producit; quo itaque universalior, generalior, et communior est status mutatio, eo distinctius illam animadvertit,

nam tunc propius ad ejus essentiam et naturam acceditur, nam omnes ideae sunt veritates universales et a vocum terminationibus abstractiores.

15. Ex his sequitur, quod propius propiusque accedere queamus ad intellectum purum, scilicet per ideas universales, et per quandam potentiam passivam, quod scilicet removeamus ideas particulares, seu abducamus mentem a terminis et ideis fractioribus et limitatioribus et materialibus, et simul a desideriis et amoribus, qui pure naturales sunt, tunc intellectus humanus ab heterogeneis turbis quasi quietus, et solum suis et intellectus puri propriis immoratus, efficit ut mens nostra non alias mutationes subeat, aut alias rationes depromat, quam quae cum ideis intellectus puri concordant; hac ratione intellectus noster intimo otio et intima jucunditate fruitur; tunc enim concursus hic apparet tanquam influxus luminis cujusdam intelligentiae, quod totam cogitationis sphaeram illustrat, et consensu quodam, nescio unde, universam ejus mentem perstringit, et intime dictat, quod verum aut bonum sit, vel quod falsum aut malum. Hac ratione perficitur intellectus noster judicio, quod maturescit: sique liceat ex ipsa anatome theoretica loqui, dum mens in hunc statum pervenit, videtur quod tunc simplex illa medulla, ex solis fibris simplicibus, et ex paucis vasculis constet, nam quot fibrae simplices, tot radii intellectuales intellectus puri, et quot vascula, tot umbrae, quae radios luminosos seu intellectuales obfuscant, sed haec in transcursu.

16. Ex his jam apparet, quomodo intellectus humanus perficiatur, scilicet quod nullus sit in tenera infantia; quod augeatur in adolescentia, perficiatur in aetate adulta, quodque judicium postea crescat, decrescente ingenio seu imaginatione: cogitatio enim nulla dari potest in infantia et minus in embryone: quare est concursus, correspondentia aut harmonia constabilita, non autem influxus: ut sit correspondentia et harmonia, illa per usum et cultum constabilienda sit, nam secundum apperceptam mutationem intellectus purus concurrit. Sed usque licet embryo sit, vel infans, vel stupidus, vel insanus, usque tamen intellectus purus remanet idem, nam se non prius explicare potest, quam appercipiat mutationes status, quibus cor-

respondeat, nec sensorium mutare suos status nisi per usum et influxum sensationum externarum condiscere potest, ut supra saepe notatum est: sic intellectus purus tanquam ex suo carcere, cui inclusus est, vel ex suo intimo sinu, secundum mutabilitatem inductam quasi elabitur et emergit, et sic manifestat quod a principio formationis affuerit, sed non potuerit se prius evolvere: quumque se evolvit, quod fit tractu aetatis, tum in singulis formis et harmoniis vocum, inque explorandis intimis sensibus ex solo nexu et ordinatione idearum se quovis instanti praesentissimum exhibet.

17. Sed tam ipsa experientia, quam theoria confirmat, quod intellectus proprie humanus parum dependeat ab intellectu suo puro, sed ab imaginato, imo quod imaginatio plus a sensatione quam a suo intellectu seu cogitatione, proinde quod intellectus noster sit admodum impurus, et quod talis, ut potius spurius et adulter mereatur vocari, qui usque tam speciosus et purus apparet nobis, ut credatur quod ille sit ipsa anima, quae non solum est intellectus purus, sed etiam intelligentia spiritualis, quod quam falsum sit, ex nuda propositione liquido apparet. Imo intellectus noster saepe tam abalienatus est ab intellectu puro, ut contrario pugnent, et ille agnoscat ipsa mundana pro veritatibus, et hic intime sciat, quod sint pura mendacia, et quod fallacia sint ornamenta, quae efficiunt, ut tanquam veritates in scenam prodeant, et applaudantur.

18. Interim ut intellectus humanus existat, necessum est ut ipsae veritates variegatae et quasi modificatae sint cum mendaciis, seu vera cum falsis, bona cum malis; ex miscela et variegatione relativa et oppositione conveniente exsurgit analysis rationalis, et enascitur opinio, hypothesis, principium quoddam ignotum, et plura, quae sunt proprietates intellectus humani; absque variegatione intelligentiae et ignorantiae non magis existere potest cogitatio et judicium, quam imago visualis absque lumine et umbra, quae est ratio quod de intelligentia praedicetur lumen, claritas, et de ignorantia umbra et tenebrae, nam illa sibi mutuo correspondent. Absque tali variegatione nulla foret societas terrestris, nulla diversitas cogitationum, morum, actionum, corporum, nullae affirmationes et negationes, nulli incerti rerum eventus, nulla auguria, et qui-

dem nulla desideria finium, et nulli amores terrestres, et plura, quae in ipsam societatem humanam ut necessitates influunt: nec foret loquela seu communicatio cogitationum per sermonem, nisi per superiorem quendam et angelicum, qui ne hilum terrena concerneret.

19. Insaniarum species, quae infinitae sunt, inde scaturiunt, quod sensoriorum status ita perversi sint, ut mutationes non nisi irregulares et intellectui puro disconvenientes agant: et quia intellectorium concurrit, etiam cum his simili ordine concurrit, et sic quasi consentire videtur, quamvis prorsus dissentiat; ita est ipsa cogitatio seu intellectus humanus, non autem intellectus purus qui insanit.

De Commercio animae et corporis.

1. Quomodo communicet anima cum corpore, nequaquam evestigatur nisi prius exploratum sit, quid anima et quid corpus, tum quid sensatio, imaginatio, cogitatio, intellectus purus, spiritualis, quid voluntas et actio, ut et qualia sunt organa sensoria et motoria tam interna quam externa, qualis organismi nexus, et infinita plura; quamdiu enim nescitur quid anima et corpus et quid inter animam et corpus intercedat, non potest quin cooperatio, communicatio et commercium ignoretur; ex ignotis nihil nisi quam ignotum educitur, deque entibus quorum essentialia ignorantur, non nisi quam per meras ignorantias loquimur, quousque loquendo progredimur. Sed usque non diffiteor, quod nec ipse mihi videar adhuc in unam partem tam vastae cogitationis, si ipsam cogitationem ex myriadis myriadum partibus constare asseram, pervenisse, sed quod obscuram modo ideam a praemissis mihi comparaverim. Quod autem sensationes externae cum sensationibus internis et cum intimis, et tandem cum ipsa anima ejusque intelligentia communicent, et quod actiones similiter, id luce clarius est, nam quod corpore moveamur, vivamus, simus, est nostrae animae, quae sola est principium motus, vita et essentia nostri corporis.

2. Ipsa communicatio apparet tanquam sit influxus, nam transire videtur modus et imago sensus externi in ideam sensus interni, sed ne apparentia nos ludat, ipsos nexus rerum intui-

tione rationali penetremus, aliter fallacias pro veritatibus facile arripimus.

3. Evidens est, quod soni articulati seu voces, seu modi auditus in cerebro seu in sensorio communi vertantur in ideas visualium similes seu in totidem imagines, ut dum verbis seu loquela domum, palatium, urbem, prata, campos, coelum et caetera describimus, illico eorum idea repraesentetur: sed haec communicatio, seu hoc commercium non appellari potest influxus, nec harmonia, sed *correspondentia acquisita*, sonus eorum est modo contremiscentia, quae non evocare potest ideam similem visualem, nam sive palatia, urbes, campos gallice, anglice, latine, graece describimus, usque tamen similis idea excitatur, tametsi alius sit sonus, seu alia soni articulatio: sed correspondentia haec usu et cultu acquiritur, condiscimus enim loqui linguam, et sic quod talis modulatio significet talem imaginem, aut talem villam, picturam; quoties illa soni articulatio redit, eadem etiam idea redit. Ratio etiam physica et anatomica potest reddi, ipsi enim soni sive articulati et compositi, sive simplices contremiscere faciunt fibras, corticem, meninges cerebri, haec contremiscentia vibrat ipsas substantias, earumque partes localiter alternis movet, haec alterna vibratio non aliquam mutationem statui partium interno inducit, sed solum statui partium externo, seu ipsi cerebro: usque tamen ipsae partes propter nexum, quem mutuum inter se tenent servantque, ac propter ipsam formam, scilicet situm et ordinem, illico appercipiunt, non solum quod mutatio, sed etiam qualis mutatio inducta est, et ex usu condiscunt quid talis mutatio significet, consequenter sensorium protenus cum sua idea concurrit.

Sed praeter hanc correspondentiam acquisitam inter sonos articulatos loquelae seu auditus, et inter ideas visus interni seu imaginationis, datur iterum *correspondentia naturalis*, quae non ex ipsis sonis quatenus soni [sunt], sed ex harmonia sonorum profluit; ut ex modulamine cantus, harmonia musica, symmetria vocum, seu vocis remissione aut exaltatione dum loquimur, imo etiam a sono quarundam vocum, quae naturales dicuntur; excitant enim illico animum, sive enim laetitia, sive dolore, sive amore illum afficiunt; talis etiam est loquela ani-

mantium brutorum. Causa est eadem, oriunda nimirum a nexu, situ, ordine, forma seu harmonia partium cerebri mutua et inter se; quae cum forma et statu partium interno correspondet; forma enim proxime inferior a forma superiore descendit, et sic illa in similitudinem superioris, prioris aut suae parentis nascitur.

Communicatio visus externi cum interno, seu sensationis visus ocularis cum imaginatione fit per *correspondentiam naturalem.* Quod proprie visum attinet, ille non existit in oculo, sed in sensorio communi seu cerebro corticali, transit quidem per oculum, sed non sistit gradum quam dum per fibras nervi optici et medullares cerebri usque ad origines fibrarum seu ad substantiam cerebri corticalem se elevaverit vel ascenderit; ut primum origines illas tangit, se per universam illarum superficiem et consequenter per universam compagem diffundit: ita visus ocularis existit in ipso hoc sensorio, inter quod et oculum est nexus continuus, haec communicatio aliqua ratione dici potest influxus, sed potius est praesentia ejusdem imaginis, in sensorio interno, quae fuerat in externo; sed est modo visus, non autem imaginatio. Similis est auditus, qui non est auris, sed proprie cerebri, traducitur enim per continuum fibrarum usque ad cerebrum; et sic conferri potest auditus et visus; auditus enim est totius cerebri ejusque partium contremiscentia, visus autem est partium cerebri, seu cerebellulorum, id est glandularum corticalium, peragiturque per subtiliorem adhuc contremiscentiam, quae unamquamvis ejus superficiei et compagis partem tenuissime vibrat. Ast vero communicatio visus cum imaginatione fit per *correspondentiam naturalem et simul acquisitam;* dum enim imagines et phaenomena visus ocularis ad sensorium hoc commune, seu ad sensoriola sua interna appellunt, ipsa harmonia objecti, imaginum seu phaenomenorum afficit ita sensorium seu sensoriola haec, ut illico quandam status sui mutationem subeant; harmonica enim diffundunt, expandunt et laetificant sensorium, disharmonica vero constringunt, torquent, et contristant: tales mutationes status dantur infinitae, quot scilicet genera et species harmoniarum et disharmoniarum, et quot differentiae genericae, specificae et individuae, et quot relationes inter opposita: ita non est ipse visus, sed est harmonia in objectis et inter objecta visus, quae hanc

mutationem inducit, similiter ac fit in ipso oculo, qui secundum qualitatem objecti statum suum mutat, similiter etiam in aure; oculus ipsumque corpus, et singula ejus fibra, quae vel leviuscule stricta vel se contrahit vel se expandit, ad omne id constringitur, quod aliquam noxam infert, et ad omne id se expandit, quod mulcet et restituit. Talis etiam est affectio cerebri in communi ab harmoniis sonorum: haec mutatio sensorii fit per *correspondentiam naturalem;* harmonia enim est partium inter se, nam intercedit ordo, et inest forma, quam diximus esse vorticalem, qualis itaque harmonia, talis datur correspondentia. Sed cerebrum et sensorium humanum in talem quidem correspondentiam est formatum, sed quoad mutationes status illae non actu, sed potentia inexistunt; aliter ac in animalibus brutis, quibus istae a prima nativitate actu insunt; quae est ratio, quod tales status mutationes in homine per usum et cultum seu actualiter inducendae sunt, et quando inductae sunt, remanent acquisitae, unde memoria, ejusque ideae, quae dum reproducuntur, imaginatio existit; ideo inter visum et imaginationem intercedit communicatio per *correspondentiam acquisitam*, quae ponit *correspondentiam naturalem;* una enim absque altera heic dari nequit.

Imaginatio vero cum cogitatione non communicatur per aliquam correspondentiam naturalem aut acquisitam, ipsa enim cogitatio est similis status mutatio ac imaginatio, estque imaginatio perfectior, cujus status mutationes per habitum imaginationis abstracte a sensibilibus visus inducuntur; ideo inquirendum est, quae communicatio sit inter imaginationem seu cogitationem et intellectum purum, quo enim imaginatio propius perfectiusque se communicat cum intellectu puro, eo fit perfectior, et dicitur cogitatio, intellectus purior, et magis rationalis.

Communicatio inter cogitationem et intellectum purum similiter per *correspondentiam naturalem* et *acquisitam* peragitur; una enim ponit alteram. Ipsum enim intellectorium purum constituitur ex quadam substantia simplici corticali analoga ejus quae est in cerebro: sensorium enim internum seu glandula corticalis est cerebrum in minima effigie, proinde simplicius et perfectius; ideo ex cerebro exque communicatione au-

ditus et visus cum imaginatione, discimus qualis sit communicatio imaginationis seu cogitationis cum intellectu puro seu cum intellectorio, id est cum substantia illa simplici et analoga corticali. Ipsae ideae imaginationis seu cogitationis mutationem status externi intellectorio inducunt, nam simplices illas substantias ex situ, nexu, ordine, disturbant, et sic formam, et harmoniam earum status mutant, consequenter intelligit hoc intellectorium per usum, quid talis mutatio significat, inde nascitur et formatur *correspondentia*, quae dicenda est *acquisita;* sed ipsa harmonia in ideis et inter ideas, quae sunt mentis rationales et intellectuales, ipsum intellectorium afficit non secus ac harmonia objectorum visus ipsum sensorium: ita datur *correspondentia naturalis:* harmonia illa non est qualis est objectorum visus, sed rationalis, proque suo objecto habent verum et falsum, bonum et malum morale: ipsa illa harmonia in bono et inter bona vocatur amor, qui adblanditur et jucunditatem rationalem producit, et excitat desiderium, ut effectus amoris obtineatur, qui effectus vocatur finis, qui desideratur: talis harmonia, amor, jucunditas rationalis, et finis in ipsis ideis et inter ideas cogitationis illico et naturaliter afficit intellectorium purum, cujus ideae sunt purae veritates naturales, et ejus harmoniae sunt purae bonitates naturales: de *correspondentia naturali* eo minus ambigi potest, quod per solam reflexionem appercipiamus, aliquid intus in nostra cogitatione dari, quod consentiat vel dissentiat, affirmet vel neget, et quod ipsae veritates in singulis propositionibus naturaliter et quasi ex se elucescant; adeo ut homo quidam internus sit qui correspondet cum homine externo. Quod quoque sit *correspondentia acquisita*, patet exinde, quod ideae istae, quae per mutationes status sensorii reproducuntur, sint quidem naturales conveniantque harmoniis objectorum in se et inter se, sed usque quod harmoniae istae iterum artificialiter coordinandae et componendae sint, ut intellectorium sensum ex illis hauriat, et intelligat, quid significent: ipsum enim intellectorium non alligatum est ideis et vocibus, sed ut sensum vocum intelligat, nosse debet ex usu, quid mutatio illa velit dicere. Interim in utramque partem versare possumus mentem, scilicet quod intellectorium, quia non alligatum est ideis, nec instruitur, naturaliter sciret

et ex se, quid mutatio externi sui status velit dicere: sed *de his dubito.* *)

Quaeritur jam, quae communicatio sit animae cum intellectu puro; intellectorium illud, quod assimilatum est cuidam simplici cortici, ex quo fibrae simplices tanquam totidem radii intellectuales emicant, non potest esse ipsa anima, nam intellectorium creari et formari debet a substantiis quibus superior forma, essentia, et intelligentia spiritualis inest: communicatio haec ex parallelismo seu analogia cum supra memorata intelligitur, quod sit *correspondentia;* ipsa enim anima, quae intellectorium hoc formavit, appercipit ejus status mutationem tanquam extra se, quoties intellectorium suas mutationes peragit; talis itaque est correspondentia, ut anima ex se, absque usu et experientia intelligat, quid mutationes istae dictent. Intellectus enim purus non instruitur ab experientia sensuum, eo minus anima, quae constabilivit hoc suum intellectorium; id quod ab innumeris phaenomenis psychologicis potest confirmari; scilicet ex universali hac propositione, quae absque argumentis a posteriori petitis, quasi sponte affirmatur, scilicet quod naturale nequeat influere in spirituale, seu quod homo rationalis ex se non resciat id, quod pure spirituale est; ipsum intellectorium est prima forma naturae, proinde primum naturale, at vero anima est spiritualis, et supra naturam, sed per intellectum purum operatur id, quod naturale est.

Ex his jam consequitur, quod commercium inter corporis sensationes non fiat per aliquem influxum, minus physicum, nisi per influxum intelligere velimus correspondentiam naturalem, sed tunc est influxus ipsius harmoniae, non autem influxus entium quae harmoniam formant; talem influxum videtur intellexisse autor causarum occasionalium. Ipsa correspondentia naturalis coincidit cum harmonia praestabilita, et correspondentia acquisita cum harmonia constabilita: ipsa enim correspondentia naturalis profluit ab harmonia constabilita, quae in anima est praestabilita, inter animam vero et intellectum et inter hunc ac cogitationem constabilita, sed quia praeexistit, antequam caeterae correspondentiae formatae sunt, etiam prae-

*) Credo quod sit correspondentia naturalis et nulla acquisita.

stabilita potest dici seu prius stabilita quam harmoniae sequentes. Hac ratione conciliantur hypotheses de commercio corporis et animae, tam eorum qui causas occasionales, quam qui influxum physicum et qui harmoniam praestabilitam asserunt, nam rite intellectis communicationis viis, modis et discriminibus, trium scripturae videntur concordare: ob quam concordantiam velim ut commercium hoc dicatur per correspondentiam peragi; ipsae etiam hypotheses sic sibi mutuo correspondent.

Sed hoc commercium seu haec communicatio est sensationum corporis cum anima, quaeritur quae communicatio sit actionum cum eadem, quippe tam corpori quam animae inest potentia agendi sicuti patiendi; ipsa etiam passio seu sensatio quendam gyrum peragit, et transit in actionem, nam ostensum est, quod sensorium internum percipiat et intelligat, intellecta volvat, seu cogitet, ex cogitatis judicet, ex judicatis eligat quod convenit, sicque concludat, velit, determinet, agat, et sic per actionem effectum fini intellecto et desiderato convenientem producat: cum talis sit gyrus antequam sensatio transit in actionem, quaeritur quod sit actionum corporis commercium cum anima.

Cerebrum corticale est tam motorium quam sensorium commune, ex illo dependent actiones corporis, quae fiunt per musculos. Motorium hoc commune seu cortex cerebri actualiter se expandit et constringit, dum actionem aliquam determinat: ipsa haec constrictio et expansio vocatur *determinatio*. Per hanc expansionem et constrictionem ceu per systolen et diastolen expellit suum spiritum animalem et sanguinem puriorem per fibras compositas et simplices, qui actionem illam producit, proinde est realis communicatio operationum medio fluido; ergo in sensorio est ipsa vis, agens seu determinans, in musculo autem est actio, quae fit per nexum et influxum fibrarum et fluidi in fibris in fibras motrices musculi, secundum vis determinantis naturam et musculi formam ac organismum; nam secundum regulam, ex vi sequitur actio. Sed quomodo voluntas hanc vim producat, id per comparationem cum conatu potest intelligi, voluntas est quasi conatus, hic in apertum motum erumpit sublatis resistentiis, ita voluntas in apertam actionem, sublatis re-

sistentiis rationalibus seu impossibilitatibus; proinde voluntas est quasi perpetuus nisus suum sensorium expandendi constringendique, ut primum intellectus animadvertit, quod nihil resistatur.

Intellectus vero purus seu intellectorium cum hac vi, et prima actione concurrit per consensum; expandi enim et constringi nequit sensorium, nisi consentiat intellectorium, hujus enim sunt fibrae simplices, imo etiam principia fibrarum simplicium, quae nisi concurrunt, nequaquam determinari potest actio; ut enim sanguis purior per fibram medullarem cerebri et nerveam corporis in fibras motrices musculi determinetur, necessum etiam est, ut spiritus animalis per fibras simplices simul determinetur, absque concursu utriusque machina animalis laboraret, et fibrae rumperentur. Ipsi sensorio tradita est potestas statum suum internum, qui est status intellectorii externus, mutandi, proinde sive velit sive nolit intellectorium, usque tamen debet concurrere, nisi enim consensu favet et concurrit, ipse status externus intellectorii, internus sensorii, tum cerebri, qui est status sensorii externus, proinde status universi corporis, periculum pereundi, exstinctumque et cassum eundi subiret, tunc ipsa necessitas salutis et integritatis conservandae injungit, ut intellectus in partes illas descendat et consentiat; favere consensu dicitur, quando amores et fines concordant, aut correspondent, aliter dicitur simpliciter concurrere, ut enim actio sit, erit causa principalis, etc.

At vero quando nulla praecedit voluntas rationalis, ut in cerebello, et in ipso cerebro, tempore somni, tunc omnis vis immediate in intellectorio puro inchoat, ipsa necessitate naturali et salute totius regni id suadente, intellectorium enim omnis etiam singularissimae mutationis sui corporis ejusque partium momento conscium redditur, quae est ratio, quod intellectorium restituat, quod voluntas destruit, quodque voluntas tam caeca sit, ut suum corpus tanquam nauta navem quovis momento in scopulos impellat, sed quod intellectorium tempore quietis sensorii et somni, illud liberet inque novum semper portum deducat. Hoc vocatur instinctus, nam ejus operationum non conscius redditur intellectus humanus; quicquid enim ab intellectorio puro immediate fluit, id ad conscientiam nostrae

mentis non pervenit: quae est ratio, quod stupenda illa oeconomia corporis naturalis secundum omnem naturae scientiam constantissima lege tanquam sponte fluat, intellectus enim purus est ipsa scientia, harmonia, ordo, veritas.

Anima cum intellectorio puro ad actionem producendam, non concurrit per consensum, sed permittendo, patitur enim ut sensorium agat, alioquin nulla foret libera electio boni malique moralis: ut primum enim anima ex consensu intellectorii sensorium ita operari velle animadvertit, patitur et permittit, ut machina animalis, quae infra se est, ita agat, similiter ac ipsum intellectorium in noctambulis; animae enim omnis libertas agendi in suo corpore post lapsum primi hominis est adempta, et sensorio concessa; animae solum est relictum, ut singulis facultatem seu potentiam agendi patiendique suppeditet sustentetque.

Ex his jam sequitur qmomodo anima ad actiones sui corporis concurrit, scilicet permittendo, intellectorium purum consentiendo, sensorium vero vi activa seu agendo, ex qua sequitur actio musculi, qui agere tenetur, et obedire prout sensorium jubet, ita corpus concurrit obediendo.

Sed adhuc quaeritur, quomodo anima se communicet cum organis motoriis et sensoriis sui corporis, ut illis facultatem agendi sentiendique suppeditet, illamque sustentet; ex memoratis supra satis constat, quod anima sit, quae sentit, scilicet, videt, audit, gustat, quae percipit, cogitat, intelligit, judicat, vult, seu quod corpus ab anima suam potentiam sentiendi agendique trahat, sed haec non est communicatio seu commercium, sed est ipsa praesentia animae, quae actualiter est in toto et unaquavis parte sui corporis. Nullum enim organum motorium et sensorium externum datur, quod non ex vasculis et fibris constet, nullum vasculum, quod non ex fibris excitatum sit, nulla talis fibra quae non ex fibris simplicibus, et nulla fibra simplex, quae non originem suam ab intellectorio trahat, et intellectorium ex substantiis suae animae; consequenter non datur ullum organum sensorium aut motorium externum, quod non essentiam suam ab anima ducat; ita est realis praesentia, aut quaedam species omnipraesentiae, animae ubivis, quae formavit organa ut sic non aliter sentiant, nam unumquodvis ex

forma sua trahit, ut tale sit quale deprehenditur esse: insuper etiam anima singulas fibras, in quibus illa est omnis, ab organis usque ad cerebrum deduxit, ubi formavit sensorium commune, quod distincte res objectas percipiat et suo modo intelligat; sensorium etiam a forma habet ut tale sit quale est, utque singula per correspondentiam quandam secum et simul cum ipso homine, ut is consciat illa quae extra accidunt et contingunt, communicentur.

De

Harmoniis et inde oriundis affectionibus, et cupiditatibus in genere.

1. Nullum ens et nulla substantia in universo datur absque *forma;* quod sit aliquid, et quod sit tale quale est, unice trahit a forma. Formam constituunt *determinationes essentiales,* quaecunque sunt essentiae quae determinantur, non concipi possunt absque idea partium aut substantiarum, et ipsa determinatio non absque idea fluxionis aut coexistentiae; ipsae illae substantiae dicuntur determinantes, et quod per substantias determinatur, est nova *substantia* sed composita, cui inest *forma.*

2. Substantiae, quae se determinant vel determinantur, respectum inter se mutuum tenent, hoc vocatur *analogia:* analogia omnium determinationum sive sit successiva sive simultanea vocatur *Harmonia*, vel *Disharmonia.* Ergo unicuique formae inest sua harmonia vel disharmonia. Ex harmonia vel disharmonia cognoscitur formae *qualitas.*

3. Uti formae sunt *perfectae* vel *imperfectae*, ita etiam harmoniae. Sunt formae quae in se et sua natura sunt perfectissimae, et quae in se et sua natura sunt imperfectissimae; inter quas infiniti gradus dantur; similiter harmoniae. Formae et harmoniae sunt perfectissimae in se et sua natura, quando haec perfecta est: Formae vero et harmoniae imperfectae, sunt etiam naturae, sed tunc dicitur natura imperfecta. Quo itaque formae propius ad naturam perfectam accedunt, eo sunt magis harmonicae, et vice versa.

4. Formae *simpliciores*, *priores* et *superiores* in se et sua natura sunt *perfectiores* formis compositis, posterioribus et inferioribus, similiter Harmoniae. Sed ab exemplis, forma perfectissima angularis seu angularium est triangulum aequilaterum, seu simile trigonum, forma inter angulares imperfectior est oblongum, parallelogrammum, trapezium, et similes aliae. Forma sphaerica seu circularis in se et sua natura est perfectior forma triangulari, sed sphaericarum perfectissima est circularis; minus perfectae sunt Ellipses, cycloïdes, parabolae et caeterae. Similiter in formis superioribus, scilicet in spirali, verticali, coelesti, spirituali. Quales jam sunt formae, tales etiam Harmoniae, quae omnem suam qualitatem ab ipsis formis trahunt.

5. Omni formae suus inest *status*, qui est coexistentia substantiarum, quae determinantur, vel quae determinatae sunt. Ipse *status* dicitur *harmonicus*, quando substantiae secundum perfectum naturae ordinem coexistunt vel succedunt.

6. Omnis forma praeter angularem in mundo atmosphaerico, inque regnis animali et vegetabili suum *statum mutare* potest, et a perfectissimo suo statu naturali in imperfectiores transire, et ab his iterum in perfectiores redire. Potentia mutandi status est ipsa perfectio formae, quae tanta est in formis superioribus, ut mutationes status illarum omnem numerum excedant, et infinitae censendae sint. Quando forma circularis transit in formas ellipticas aliasque curvas geometricas, dicitur illa mutare suum statum; ita etiam dum forma spiralis, in alius generis spirales, geometricas vel arithmeticas, dicitur illa mutare suum statum. Ita etiam formae superiores, quarum formae varietates non geometrice demonstrari, nec vocibus exprimi queunt. Forma perfectissima in quocunque gradu, est immutabilis, caeterae autem ejusdem gradus sunt mutabiles; uti circulus in forma circulari est modo unicus, Ellipses vero infinitae dantur, ita etiam in caeteris.

7. At vero simplices expansiones et constrictiones ejusdem formae, non sunt mutationes, nam in expansis vel constrictis permanent eaedem determinationes essentiales, analogiae et harmoniae; sed sunt *modificationes*, per quas formae suas vires exercent. Sed per expansiones et constrictiones ipsa natura formae vires suas exercendi variatur.

8. Formae, quae suos status perfecte mutare possunt, seque simul expandere et comprimere, per mutationes sui status ut et per modificationes, varias et omnes quot possibiles sunt, harmonias actualiter producunt. Mutationes istae status, quas formae producunt, sunt iterum totidem determinationes essentiales, ex quibus nova forma, cujus sit status, et in qua sit harmonia, resultat. Ex his iterum, quando similes plures sunt, per status mutationes novae formae exsurgunt, et sic porro, pari modo etiam harmoniae.

9. Omnes mutationes status successive fiunt; sed quando per illas novae formae sunt productae, tunc omnes mutationes status successive factae, illis simul inexistunt. Sic dantur formae, status formarum et harmoniae communes et particulares, universales et singulares, vel generales, speciales et individuae. Ex quo apparet, quam infinita diversitas formarum, statuum et harmoniarum detur.

10. Modificationes vero, quae sunt variationes dimensionis, seu expansiones et constrictiones substantiae, cui inest forma, per mutuum quendam inter se respectum harmoniam producunt. Tales harmoniae sunt Sonorum, et tales objectorum visus, colorumque in se et inter se. Exinde sequitur, quod etiam formae modorum dentur, quae simpliciter modificationes dicuntur.

11. Harmoniae mundi atmosphaerici per solas modificationes, non vero per mutationes status peraguntur: ipsis modificationibus insunt vires. Harmoniae vero regni animalis tam per modificationes, quae sunt totidem ejus vires et actiones, quam per mutationes status, quae sunt totidem sensationes, producuntur.

12. Organa regni animalis tam externa quam interna ita formata sunt, ut recipiant modificationes mundi atmosphaerici, vertantque illas in sensationes, siculi modificationes aëris in sensationes auditus; et sicuti modificationes aetheris in sensationes visus. Insuper dicta organa, cumprimis interna, non ab ipsis modificationibus, sed ab harmoniis modificationum ita afficiuntur, ut harmoniis conformiter suos status mutent, unde perceptiones. Ita visus transformatur in imaginationem, et imagines in ideas. Hoc dicitur fieri per correspondentiam naturalem.

13. Omnium organa tam externa, quam interna, non similiter ab iisdem harmoniis modificationum mundi atmosphaerici afficiuntur; sed qualia sunt organa, taliter afficiuntur, nam taliter correspondent. Tanta est receptionis harmoniarum seu tanta affectionum diversitas, quanta est cerebrorum, seu hominum.

14. *Affectiones* sunt mutationes status, quae correspondent harmoniis, quae in organa cumprimis sensoria influunt. Afficitur totum cerebrum seu sensorium commune ab harmoniis sonoris auditus: sensorium internum ab harmoniis objectorum visus: Intellectorium purum ab harmoniis idearum imaginationis et praecipue cogitationis; anima ab harmonia veritatum naturalium intellectus puri: Deus ab harmoniis veritatum superiorum seu spiritualium animae.

15. Ex his constat, quod nihil in universo creato sit, quod non ad formas, vel ad ideas quae totidem sunt formae, vel ad harmonias, et ad affectiones possit referri: vel per formas, ideas, harmonias et affectiones explicari.

16. Omnes harmoniae organa sensoria tam externa quam interna vel grate seu jucunde, vel ingrate seu injucunde afficiunt, id est vel laetificant vel contristant. Harmoniae perfectiores gratae vel jucundae sunt, harmoniae vero imperfectiores seu disharmoniae, ingratae et injucundae. Harmoniae enim jucundae sensoria mulcent, quia reficiunt et vivificant, harmoniae vero injucundae seu disharmoniae sensoria perstringunt, quia destruunt et mortificant.

17. Sed omnes harmoniae sunt relativae ad statum harmonicum sensorii quod afficitur. Perfectae harmoniae in sensorio, cujus status est disharmonicus, apparent injucundae, et quo harmoniae in se perfectiores sunt, eo injucundiores; ideo disharmoniae sunt ipsissimae talis sensorii harmoniae. Verum quia harmoniae sicuti formae in se et in sua natura et essentia sunt perfectiores et imperfectiores, de statu sensorii ex affectionibus judicandum est: sed ad vere judicandum status sensorii judicis perfecte harmonicus requiritur.

18. Qualis itaque est status integri cerebri, talis est ejus affectio ab harmoniis sonorum auditus: qualis est status sensorii interni, talis est ejus affectio ab harmoniis objectorum visus:

qualis est status intellectorii, talis est ejus affectio ab harmoniis idearum cogitationis: qualis est status animae, talis est ejus affectio ab harmoniis veritatum naturalium. Deus qui est amor, ipsaque perfectio, ex se de harmoniis veritatum spiritualium animae judicat. Diabolus a perfectissimis harmoniis spiritualibus injucunde afficitur et contristatur, a disharmoniis vero jucunde, et delectatur.

19. Quae sensoria nostra grate et jucunde afficiunt, illa appetimus et cupimus; quae vero ingrate et injucunde, illa aversamur; grata enim et jucunda mulcent, reficiunt et vivificant, ingrata vero et injucunda perstringunt, destruunt et mortificant. Idcirco quantum integritatem, salutem et conservationem nostri amamus, tantum affectiones gratas et jucundas cupimus, et quantum aegritudines, destructionem et mortem odimus, tantum affectiones ingratas et injucundas aversamur. Ex hac causa cerebrum appetit, cupit, desiderat lenocinia tactus, dulcedines gustus, blanditias olfactus, harmonias auditus; sensorium internum pulchritudines et amoenitates objectorum visus; Intellectorium purum verosimilitates et delitias idearum rationalium cogitationis; anima gratiam et amorem veritatum naturalium intellectus puri; Deus salutem et felicitatem animarum.

20. Sed ita conjuncta et distincta sunt Sensoria nostra externa et interna, ut quod unum appetit, alterum persaepe aversetur, et vicissim: sensoria externa possunt delectari harmoniis mundi et voluptatibus corporis: Sensorium autem internum iisdem contristari; Intellectorium vero hac contristatione laetari, et sic porro: Ita collidit et pugnat saepe homo internus cum externo. Haec declarat ipsa anatomia, aliud est organum auditus et visus, et aliud est Sensorium commune seu cerebrum; aliud Sensorium internum seu cortex cerebri; aliud intellectorium purum, seu cortex simplex cujusvis sensorii interni; unius forma, status, harmonia potest immensum differre ab alterius, qualiscunque est nexus, situs et ordo substantiarum cerebri, alius tamen esse potest nexus, situs et ordo substantiarum simpliciorum sensorii interni, quia correspondentia per usum et cultum acquiritur. Quodlibet enim suum proprium habet, et status qui est internus unius, est externus alterius, et sic porro.

Ita affectiones non dantur similes, et raro sibi mutuo in sensoriis correspondent.

21. *Appetitus* praedicatur de omnibus istis affectionibus gratis, quae propriae sunt corporis, ejus viscerum et organorum, ipsae ejus affectiones vocantur *voluptates*, *jucunditates*. *Cupiditas* de omnibus illis affectionibus gratis, quae sunt propriae cerebri seu sensorii communis. *Desiderium* ut et *voluntas* de omnibus illis, quae sunt propriae Sensorii interni. *Amores* de istis, quae sunt intellectorii puri. *Amor* simpliciter de istis, quae sunt animae. Sed propter ignoratas distinctiones, assumitur vulgo unum pro altero.

De

Animo ejusque affectionibus in specie.

1. *Cerebro* tribuuntur Sensationes, ut visus, auditus, olfactus, gustus et tactus; quapropter cerebrum vocatur Sensorium commune: organa ejus seu instrumenta sunt in corpore et sunt corporis, ut oculus, auris, nares, lingua, cuticulae: haec non sentiunt, sed distinguunt, recipiunt transmittuntque formas tactuum ad cerebrum, quae est ratio quod aegrotante cerebro languescant sensus, qui apparent tanquam organis inessent.

2. *Animo* vero non tribuuntur sensationes, sed *affectiones*, quae etiam vocantur ejus *passiones*. Cerebrum enim sentit, sed a sensationibus secundum suam formam afficitur. Idcirco *animus est forma idearum Sensorii communis seu externi*, et principium activum et vivum omnium mutationum corporis: sicuti afficitur animus, ita cupit, et qualis est cupiditas animi, talis est voluptas corporis; qualis enim est forma sensorii, talis est animus; ita ex illius forma de animo, et ex animo de sensorio judicari potest.

3. Affectiones animi in genere Sensorio communi vel conveniunt, vel disconveniunt; quae conveniunt gratae sunt, quae autem disconveniunt, ingratae. Affectiones gratae cerebrum expandunt vel animum diffundunt; affectiones ingratae cerebrum comprimunt, et animum angunt. Affectiones vero irregulares cerebrum torquent, et animum confundunt. Affectiones

gratae cerebrum reficiunt, et animum exhilarant; affectiones ingratae cerebrum laedunt, et animum contristant. Affectiones gratae cerebrum novo calore, et animum nova vita instaurant; affectiones vero ingratae cerebrum destruunt, et animum exstinguunt. Ita affectiones gratae sunt totidem calores cerebri et consequenter corporis, ac totidem resuscitationes vitae animi et consequenter sensationum et actionum corporis; affectiones autem ingratae sunt totidem torpores et frigora cerebri, et consequenter corporis, et totidem pericula vitae, ac deliquia et mortes animi, et consequenter sensationum et actionum corporis: animus enim, et ejus affectiones tam gratae quam ingratae cum cerebro emoriuntur.

4. Affectionum animi sunt plura genera, et infinitae species, sicuti Laetitia et Tristitia; amores et odia, invidiae; animositas et timor; Patientia et ira; temperantia et intemperantia; clementia et crudelitas; ambitio et fastus; Liberalitas et avaritia, ut et plures. Sed sunt quae propriae sunt Sensorii communis et ejus animi, hae vocantur affectiones animales; et sunt quae propriae sunt Sensorii interni et ejus mentis, hae vocantur affectiones rationales; et sunt quae de utroque participant. Ideo de singulis in specie.

Laetitia.

5. Laetitia est communis affectio grata, omnes enim affectiones gratae delectant et laetificant; causae sunt omnes harmoniae in genere et in specie, quae concordant seu sensoriis nostris conveniunt eisque adblandiuntur, cumprimis sensorio interno, quando hoc fortunas, felicitatem, restaurationem vitae seu corporis animadvertit. Laetitia expandit cerebrum et diffundit animum, cui quasi remittit fraena, permittitque ut libere agat. Ipsa expansio cerebri et diffusio animi exstat in ipsa facie, in organis ejus sensoriis, quae similiter eriguntur, inque toto corpore, quod prius constrictum in laetitia libere intumescit. Per expansionem universalem diductis toris substantiae corticalis cerebri, etiam unumquodvis sensorium internum expanditur, in quo statu unum non comprimit alterum, inde in vitam quandam perfectiorem tanquam a somno expergiscimur.

Sanguis per majuscula et minutiora vasa liberius transfluit, et suas glandulas et fibras percurrit, inde universa chymia cerebri et oeconomia corporis restauratur; quicunque enim est animus cerebri, idem transfunditur in corpus, nam continuitas est omnium a suis originibus seu substantiis corticalibus; quae est causa quod ex corpore judicare de affectione cerebri seu sensorii communis et interni, et cumprimis ex vultu, cui inscribitur animus, queamus. In summa laetitia non modo aperiuntur tori corticis, et strata medullaria, ut et canales fibrosi et vasculosi cerebri et corporis, sed etiam pori cranii ossiumque, tum etiam caeteri meatus, ut chyliferi, lymphatici, ductusque salivales, et caeteri qui fundunt liquida oeconomiae animali convenientia, tum etiam pori transpiratorii cuticularum, ita per laetitiam viae communicationis omnes aperiuntur. In statu laetitiae etiam gratus et jucundus tremor, vitalis calor, lumen, praesentia animi sensorium tam commune externum, quam internum circumfundunt; ipsa illa tremiscentia viva et lux in vultu, ejus oculis ipsaque loquela et singula actione manifeste proditur; inde etiam serenatur cerebrum, reficitur et vivificatur, et eo momento quasi in primae adolescentiae et innocentiae statum relabitur. Praeter contremiscentiam hanc subtilem, etiam vibratio exstantior seu risus oboritur, subsultat enim cerebrum et oscillat, non secus ac pulmones, trachea, soni articulati, facies, et artus corporis, hoc dicitur risus; ipsa enim laetitia est affectio sensorii interni, risus autem sensorii communis seu cerebri proprius, qui existere nequit absque intima laetitia ipsius sensorii interni, et intellectus ejus reflexione, proinde non dabilis nisi in homine, ut enim existat, appercipere debet mens causam laetitiae, et felicitatem praesentem videre vel futuram praevidere, qui sic in tremulum effectum ab intimis erumpit; in statu laetitiae animus in omnem vibrationem, et actuales reciprocationes, ut in modulamina cantus, saltationes, jactationesque membrorum pronus est, quia omnia soluta et libera sunt. Primus gradus laetitiae est sua sorte contentum esse, secundus est hilaritas, tertius est laetitia, et quartus qui etiam est effectus ultimus, est risus et jactatio corporis.

Tristitia.

6. Tristitia vero, quae etiam aegritudo et dolor animi vocatur, est communis affectio ingrata, omnes enim affectiones ingratae contristant: Causae sunt omnes disharmoniae in genere et in specie, quae discordant, seu sensoriis nostris disconveniunt, cumprimis sensorio interno, quando infortunia, infelicitates, exstinctionem vitae seu destructionem corporis animadvertit vel suspicatur: tristitia comprimit cerebrum et angit animum, cui quasi compedes et vincula injicit, et quem sua libertate privat. Ipsa constrictio cerebri et anxietas animi apparet in vultu, in organis ejus sensoriis, quae similiter comprimuntur, ita ut lachrymae exprimantur, in toto corpore, quod prius expansum manifeste coarctatur. Per constrictionem generalem cerebri clausis toris substantiae corticalis, etiam unumquodvis sensorium internum constringitur, suamque agendi libertatem amittit; hoc enim in statu unum comprimit alterum, inde cerebrum grave fit et torpescit: sanguis impeditur, ne per vasa majuscula et minutiora libere fluat; sanguini puriori aut spiritui animali negatur, ut glandulas et fibras percurrat, unde cacochymia, ataxia, atrophia, melancholia, et causae plurium morborum. In summa tristitia non solum constringuntur tori corticales et strata medullaria cerebri, cerebelli, medullae oblongatae et spinalis, ut et canales fibrosi et vasculosi tam cerebri quam corporis, sed etiam pori cranii ossiumque, ut et meatus, ut chyliferi et lymphatici, caeterique qui fundunt liquida oeconomiae animali inservitura, qui si exprimuntur, non secundum usum regni elaborantur, ita per tristitiam viae communicationis omnes quoad partem clauduntur. In statu tristitiae etiam ingratus torpor et stupor, frigus, umbra, absentia animi mentisque sensorium tam commune quam internum occupant; ipse ille torpor et umbra in vultu, oculis, loquela manifeste apparent, inde cerebrum quasi obnubilatur et obscuratur, torquetur, laeditur, destruitur, et animus exstinguitur, aut in tristem quandam senectam ante diem illabitur. In tristitia quia patitur cerebrum, et singuli ductus compressi se usque levare connituntur, oritur fletus et ploratus, qui contrarius risui effectus est: ipsa tristitia est affectio sensorii interni, fletus autem sensorii ex-

terni seu communis, id est cerebri, qui existere nequit absque intima tristitia sensorii interni, ejusque reflexione super statum infelicem, et infortunia tam praesentia quam futura, proinde non dabilis nisi in homine, nec proficisci nisi ab intellectu mixto potest, qui nescit futura. Primus gradus tristitiae est non esse sua sorte contentum, alter est anxietas quaedam latens, tertius est ipsa tristitia et dolor animi, quartus seu ultimus, qui est effectus, est fletus, ploratus, inactio musculorum corporis.

Amores in genere.

7. Dantur plures affectionum animi species, quae dicuntur amores, uti amor venerius, conjugialis, Parentum erga liberos seu storge, amicitia. Singuli amores sunt totidem conjunctiones, nexus, consociationes partium cum communi; absque amore enim vivere, est tanquam pars a communi dissociata; omnis enim pars ut vivat, a communi seu in consortio cum pluribus vivendi sui sortem trahet, societas est ipsa forma vivendi singulis; ita qualis sit vita singulorum, a forma plurium seu societatis fluit; ita vita singularis absque nexu, est respective nulla; ut itaque sit aliquid, amores concessi sunt, quibus connectamur, et per quos respiciamus socios ut nosmet ipsos tanquam unitos, et non separatos. Sunt ideo amores corporis seu venerei, sunt amores animi, ut conjugialis et sociorum, sunt amores mentis, sunt intellectorii, et sunt animae. Ex his consequitur quod amor proprie sit ipse calor vitalis, et ipsa vis vitae, absque enim amore singula torpescerent, et exstincta forent.

Amor venerius.

8. Actus amoris venereus est ipsa conjunctio et unitio duorum corporum in unum, causa altissime reposta dicitur usque ab anima et intellectorio puro, quae effectus non ut effectus sed ut fines respiciunt: fines eorum sunt, ut existat societas et procreentur membra, scilicet societatis terrestris, quod est intellectorii puri, et societatis coelestis, quod est animae: ipsa mens rationalis hos fines partim ex se, partim ex revelatis percipit et intelligit, animus nude effectum cupit, et corpus exequitur: quam

magnum desiderium hujus finis sit in anima et intellectorio puro, a delitiis et stimulis corporis in hunc effectum manifeste apparet.

9. Veneris cupido excitatur ab objectis quinque sensuum, scilicet a formositate et venustate oblata visui, a simili forma et venere per loquelam descripta, quae in totidem objecta visualium similia per auditum transit, pariter ab objectis trium sensuum tactus, per oscula, amplexus, et plura, ita amor crescit progrediendo. In affectione hac venerea, quia est affectio grata et adblandientium prima, ipsum cerebrum seu sensorium commune expanditur, et laete contremiscit, proinde animus diffunditur: ipsa vero sensoria et motoria interna determinantur in illum statum, ut omnem spiritum, qui usque in sanguine inclusus jacet, eliciant extrahantque, prompteque per fibras suas medullares et nerveas corporis effundant; intellectorium vero novam vitam animamque large affundit, in hoc enim statu concipitur, nascitur excluditurque copiose spiritualis illa essentia, quae novae proli concipiendae inservitura est; similis status qualis est cerebri redit in universum corpus ejusque systema sanguineum et fibrosum, quod ad hunc effectum unanimiter conspirat, qualis enim cerebro est animus, talis infunditur corpori, et praeterea caeterae omnes transpirationis viae aperiuntur, et effluviosi halitus per universum ambitum corporis copia influunt et erumpunt; ex his post effectum oritur lassitudo et torpor, omnis enim melior sanguis spirituosa sua essentia spoliatur, purior etiam confluit ad sensoria, ut in fibras et per fibras, et tandem in membra generationis exoneretur; ipsae etiam fibrae in actu tremulis fibrationibus fatigantur: intellectorium quoscunque possidet et concipit vitales spiritus affundit, nam totum se impendit novo homini, qui sit quasi idem ipse, per quem se suamque vitam proroget et omnes telluris aetates percurrat, et simul per apertos poros cuticulae meliores jam ejectos superfluos halitus expellit, inde ecstases delitiosae, deliquia interiorum sensoriorum grata succedunt, quae tamen impotentiae temporariae, species tristitiae sanguinisque frigora in adultioribus excipiunt. Ipsi actui, qui est solius corporis, inest voluptas, quae dum a collecta in vesiculis genitura superflua excitatur, et sic a sola causa corporis profluit, exonerationis causa absque fine procreationis concessa est; quate-

nus vero ab animo, est absque fine, estque cupiditas quae respicit voluptatem corporis; animus enim ex se omnes actus in corpore exercet absque fine, nam modo sentit et agit, non autem percipit, intelligit, vult: at quando hic amor descendit a mente rationali, merito non respiciendus est ut purus effectus, sed ut finis; sique respicitur ut effectus seu mera voluptas, est libido, lascivia, mens enim tunc descendit in partes animi; sed si respicitur ut finis, indicium est, quod ab intellectorio puro descendat; intellectus enim purus nullum effectum corporis respicit ut effectum, sed ut finem; finis est multiplicatio membrorum societatis terrestris, prorogatio suae vitae per posteritatem, ut transeat in alium se, tum etiam quandoque necessitas conservandi corporis sanitatem. Haec est ratio, quod bruta animalia ex eodem principio et ex eodem fine agant, illorum enim anima, est qualis noster intellectus purus, et sic nullos fines spirituales, sed solos naturales, id est nullam societatem coelestem, prout nostra anima, intuetur et desiderat.

Odium et aversatio veneris.

Sunt qui ex natura, et sunt qui ex principiis aut ratione aversantur venerem. Qui ex natura, vel illorum intellectorium purum societatem, ejusque multiplicationem odio habet, et soli sibi videntur societas, illis inest fastus, immoderatus sui amor: vel illorum mens ac animus nulla afficitur venustate, hi plerumque tristes et morosi sunt: vel illorum sanguis est durior, frigidior, spiritusque et ejus generatio parcior, quam ut simili usui sufficiat, hi sunt senes ante diem: vel illorum generationis organa vitio laborant, hi sunt impotentes. At qui ex principiis, omnem venerem respiciunt ut immunditiem et non concessam, ejusque usum ut jacturam spirituum et melioris vitae: ita principia sunt vel spiritualia vel naturalia. Hoc vocatur Castitas, et est summa virtus.

Amor conjugialis.

Amor est vox spiritualis, harmonia est vox naturalis, hae sibi mutuo correspondent, amor enim ut et harmonia conjun-

ctionem parit, nam quae harmonice concordant, ex se et sua natura conjunguntur. Amor hic conjugialis genuinus non solum parit conjunctionem duorum corporum et animorum, sed etiam mentium. Causae amoris inter conjuges sunt multiplices, et quidem concurrunt omnes, quotcunque natura conferre potuit: est enim corporum conjunctio, quae per mutuas delitias confirmatur et crescit; est pariter animorum, unde mutua earundem delitiarum concupiscentia; est mentium rationalium, quae convictu arctius adunantur; affectiones enim mentis sunt mutabiles, nam ipsae formae idearum rationalium per usum et cultum acquiruntur, consequenter earum mens; mentes tandem diversis modis et ex innumeris causis coalescunt: principalis causa est intuitio et desideratio ejusdem finis, id est sobolis in conjugio, postea amor erga prolem mutuus et unanimus utriusque; praeterea etiam consensus utriusque in caeteros fines, quos unus alterve desiderat, id est, quod unus condescendat in voluntates alterius: ut unum sit in natura, concurret activum et passivum, scilicet si unus patitur sicuti alter agit, tunc uterque simul unum est; hoc dicitur par conjugum, seu conjugium; ordinavit etiam natura, ut uxor indolis passivae sit, et maritus indolis activae: insuper favet libertas, quae summum mentis est delitium, et principalis essentia omnis affectionis gratae; liberrimum enim est, quando unius mens et voluntas est alterius, sic est tanquam sibi relicta cum gratia quod communicetur alteri. Haec et plura afficiunt et uniunt mentes, et quidem ita, ut quando amor venereus exque unitione corporis oriunda voluptas cessat, remaneat unitio mentium: haec etiam tempore ipsam mentem puram seu intellectorii afficit, inde oritur adhuc intimior unio, quae omnem excedit unionem mentis rationalis, fitque talis, ut exprimi terminis nequeat, quicquid enim immediate ab isto fonte puro seu ab intellectorio derivatur, hoc vocibus inexpressibile est. Si quoque ab utroque similiter desideratur finis spiritualis, etiam animae intime quoad operationes uniuntur; inde oritur vita coelestis in terra, et credere fas est, quod utriusque animae in coelis consociandae sint. Sed talia conjugia et tales amores non casu, sed peculiari Dei Providentia auspicantur et perficiuntur.

Odium conjugiale.

Odium est amoris contrarium; amor ex se non noscitur qualis sit, sed a suo contrario; prout nec harmonia nisi ex disharmoniis, quae est ratio, quod interpolandae sint disharmoniae, ut animus ab harmoniis eo gratius afficiatur, sed scientiae et artis est, ut apte resarciantur; ita nec jurgia amantium odium pariunt. Genuinum odium conjugiale non illico disjungit corpora et animos, sed successive mentes, quae mutabiles sunt; exinde ut a sua origine disuniuntur animi, et consequenter corpora, tunc concupiscentiae cum suis delitiis evanescunt. Causae odii et disjunctionis sunt plures, causa principalis est suspicio infidelitatis, quae zelotypia vocatur, qua regnante non creditur amor mutuus, et a parte mariti soboles non utrique communis, sic amor prolis animos mentesque non copulat. Causae etiam sunt omnes dissensus in caeteros fines, qui ab alterutro amantur et desiderantur: accedit si secundum naturae ordinem non sit qui obsequiose patiatur, sed uterque imperiose agat. Sic quia unius mens et voluntas amplius non est alterius, uterque libertate, quae est mentis delitium, orbatur, et loco ejus succedit vel servitus, vel contemptus, vel odium. Haec et plura disuniunt mentes, et quidem ita, ut quando amor venerius aut voluptas corporis cessaverit, subeat aversatio. Haec etiam temporis lapsu utriusque mentem puram seu intellectorii afficiunt, inde oritur immortale et internecinum odium, fitque tale ut exprimi nequeat. Hoc est infernum terrestre, et credere fas est, quod unius anima alterius ut duae Erinnyes et furiae in Erebo cruciaturae sint. Talia etiam disjugia et mentium diabolica divortia non casu oriri, sed propter gravissimas causas a provido numine permitti videntur. Ex amore et odio conjugiali concludi potest, qualia sint conjugia intermedia, de uno aut altero plus vel minus participant; status enim intermedii dantur innumerabiles, et totum complent orbem.

Amor Parentum erga Liberos seu storge.

Amor Parentum erga Liberos, quoad originem et essentiam, a caeteris amoribus distinctissimus est: unde suam origi-

nem trahit, alte ignorat mens et intellectus noster rationalis, quare etiam instinctus vocatur, inest enim mentibus natura et ex se: animantibus brutis cum genere humano est communis, in illis persaepe ardentior et tam fortis, ut vincat amorem sui, et animos det timidis, hic species est sympathiae, sive enim sit sua proles, sive sit alterius, modo credatur sua, est similis ardor, aeque in bestiis ac in homine, nec reciprocus et mutuus est prolis, quare dicitur ille amor descendere, non ascendere, naturalis enim est in parente, acquirendus in prole: caeteri amores, ut conjugialis et erga socios, per viam sensuum insinuantur animo, et ab hoc menti rationali; hic autem amor per viam intellectorii puri ab anima insinuatur menti, idcirco ignoratur origo, unde fluat; quicquid enim ex mente pura defluit in mentem rationalem, id non revelatur nostro sensorio interno, nam illa se per formas vocum explicare nequit; quae est ratio, quod sive sit sua proles, ut supra est dictum, sive sit alterius, modo mens nostra rationalis persuadeatur quod sua sit, similis sit amor. Ab effectu hujus amoris clare cognoscitur, quod in nobis mens quaedam superior et purior sit, quae intuetur et simul desiderat fines universaliores, et in quos universa natura conspirat: hi fines, qui pure naturales sunt, et animantibus brutis ac nobis communes, non possunt alii esse, quam propagatio generis et novae societatis, et prorogatio vitae terrestris per alios se, in quibus renascatur, connititur enim coloniam facere, et omnem suam animam in novum quoddam corpus transfundere, quod amor venereus supra descriptus satis declarat. Mens illa pura seu superior evidentissime novit, quod anima prolis sit desumpta ex anima parentis, et sic una in plura corpora transscripta; id quidem mens nostra rationalis ignorat, sed usque cognoscit ex ardentissimo amoris illius effectu, et ex desiderio, quod adhuc conjunctissime cum sua prole vivere amet, et quidem saepe in tantum, ut indignetur non posse reuniri, quod frustra per arctissimos amplexus, compressiones et oscula pertentat. Ita in hoc amore concentratur amor sui, amor perpetuitatis vitae, et amor societatis, cujus sit pars, et quidem prima. In amore hoc penes homines, quatenus descendit a mente intellectorii puri, similiter concentratur amor sui, amor perpetuitatis vitae, et amor societatis; sed quatenus etiam

descendit ab anima, cujus mens est spiritualis, superadditur amor aeternitatis, et amor societatis coelestis, cujus pars futura sit integra societas terrestris. Ex his ut ex vivis et exstantibus documentis liquet, quod anima humana sit essentia et forma superior, et quod anima brutorum sit qualis intellectus noster purus. Hic amor Parentum erga Liberos successu temporis decrescit, serius in genere humano, citius in speciebus animantium: unaquaevis enim individua proles suum vultum, suum animum, suam mentem non parentum similem induit et acquirit, ita natura dissociantur, ut primum cujusvis proprium cerebrum parentelam sui corporis suscipit. Sed quia fines, qui desiderantur, humanis mentibus conspicue insunt, permanet amor, quamdiu amor finis: quae etiam est ratio, quod amor parentum adhuc magis crescat erga nepotes. Quod enim anima avi, medio parente, etiam in nepotes transeat, a resuscitata in nepotibus similitudine avorum et atavorum patescit.

Amor societatis et patriae.

Sunt societates minores, sunt majores, et sunt maximae, societas minor est unius domus aut unius familiae; societas major est unius provinciae, unius ditionis, unius regni aut imperii: societas maxima est universi orbis: Societas terrestris vocatur mundus, sicuti societas coelestis coelum; quot itaque Societates terrestres, tot mundi; et quot societates coelestes, tot coeli. Amor Societatis est tam naturalis quam acquisitus: solus enim vivere, aut absque societate vivere, est non vivere; quicquid enim ejus est proprium, non cognoscitur ut proprium nisi ab aliis et relative; intimae nostrae delitiae non sunt delitiae, nisi ex delitiis aliorum de nostris persuadeamur: praeterea nulli desiderati fines absque mediis consequuntur, ita nostri non absque sociis et eorum auxiliis, nec sociorum absque communi suffragante, cujus partes sumus. Ita ipsa natura hunc amorem et conjunctionem ingenerat et suadet. Amor hic, dum pure animalis est, est maximus sui et suorum, minor sociorum, et minimus societatis; at vero si amor hic a mente intellectorii puri immediate descendit, est maximus societatis, minor sociorum, et minimus sui, analogia est, qualis est universi mundi ad par-

tes aut partem. At vero si amor hic sit spiritualis seu animae, tunc amor societatis coelestis est supra amorem omnium societatum terrestrium seu universi mundi, et supra illum Deus, qui est ipse amor.

Mentes nostrae sunt rationales, id est, simul tam naturales quam spirituales, mentes naturales, seu pure animales, se et suos caeteris sociis, hos societati, et mundum coelo praeferunt: mentes vero spirituales se infimo loco ponunt, et in simili unumquemvis proximum, quem amant ut se ipsum, in supremo vero Deum, ac intermedie suo ordine caeteros. Hoc ipsum est mentis nostrae excellentia, vera magnanimitas, sapientia, ipsa honestas, virtus, felicitas, religio: illi sunt Heroes sui saeculi, ipsae Essentiae, Potentiae, Virtutes et Sidera mundi; talium societas est civitas Dei: hujus amoris prodigiis floruit Imperium Romanum, quare ex singulari Dei Providentia ei universus orbis est subjectus: hodie etiam nascuntur, sed creduntur miracula. Unusquisque hoc ut nudam veritatem agnoscit, quis non Quintum Mucium, quis non Horatium Coclitem, Scipionem Africanum majorem, Catonem, Octavium, quis non Gustavos et Carolos, et plures encomiis usque ad astra tollit, et Divinum quid in illis stupet? Quis non talem animum praefert et ostentat, et se in ultimis aut nullo loco ponit, ut gloriam, favorem et applausum universi coetus aucupetur; artis itaque est, ita magnanimitatem, sapientiam, honestatem, virtutem, religionem, et hominem supra homines, sui gratia, seu dum se in supremis locat, mentiri.

Quot societates, tot formae, totum genus humanum seu orbis constituit formam universalem, imperia et regna formas minus universales, ducatus imperiorum et provinciae regnorum formas universales adhuc inferiores, familiae et domus infimas, quisque amore istius, cujus est pars, ex natura devincitur, ita patriae prae caeteris, quando collidunt, cujus dum formam, se ipsum tutatur.

Amor erga Socios, et amicitia.

Omnis amor est naturalis, sed omnis amicitia est amor acquisitus; inter conjuges est amor natura, sed qui per mutuum

consortium acquiritur vocatur amicitia; parentum erga liberos, et caeterorum erga consanguineos et affines est amor, sed erga caeteros non sanguine conjunctos est amicitia; amor etiam societatis et patriae dicitur, quatenus connascitur. Amor est inter pares et impares, amicitia vero inter pares, inferiorum erga superiores nec dicitur amicitia, sed veneratio, quae facile amorem parit, nam veneratio superiorum est naturalis, et unicuique amori inest. Sed amicitiae sunt plures causae, naturae et gradus. Regula communis est, quod concilietur amicitia per similitudinem morum, id est, animorum et mentium: animus qui est status externus mentis et solius cerebri, nec respicit fines, sed solum voluptates corporis, non afficitur nisi ex paritate conditionis, aetatis, sexus, fortunae, vultus, actionum, amicitia inde resultans est infantum, puerorum, adolescentium, etiam adultorum qui plus animo et voluptatibus, quam mente et desideriis finium rationalium reguntur; in his etiam est saepenumero prima conciliatio, nam ab externis de internis judicamus. Amicitia vero ex causis rationalibus conciliata est ab ipsis finibus, in quos uterque conspirat, ex illis enim de similitudine judicatur, ideo quantum desideramus fines, tantum amamus socios et consortes qui promovent fines, fines enim et media, seu fines omnes intermedii pari passu vadunt Fines sunt vel corporei et pure naturales, vel sunt rationales, vel sunt spirituales; ipsae affectiones gratae sunt fines, ita honesti cum honestis, scelerati cum sceleratis, amicitiae [cum] consanguineis, et sic porro. Sed in amicitia etiam requiritur, ut unus sit agens, alter patiens, si uterque agens, fit collisio, ut inter morosos, iracundos, invidos, avaros; amicitiarum etiam variae naturae sunt; datur sincera, datur simulata, datur etiam amicitia odio mixta, persaepe animum alicujus et mores odimus, mentem autem et voluntatem, id est, ipsum hominem amamus, et vice versa; imo quandoque cum amato non vivere, et cum inamato vivere cupimus; ipsa nostra affectio principalis et amor dominans est mensura amicitiae erga alterum; ita liquet quam copiosa materies sit amicitia. Regula communis debet esse, quod amandi sint omnes, et simul odenda eorum vitia, id est, quod etiam inimici amore, non vero amicitia sint amplectendi; amor enim est naturalis et ipsius mentis purae et

animae, amicitia vero acquisita et est animi et mentis rationalis; fines animae sunt spirituales, quarum prima est felicitas aeterna, quando singuli in his finibus conveniunt, respiciuntur ut jam socii, quos nihil nisi amor ligat; ita animarum erit amor, utcunque inimicant mentes: absque hoc amore spirituali nullus est amor divinus, per hunc enim unice consociantur animae, si ad unicum hunc finem collimant.

Odium.

Odium non est privatio amoris, sed est amor mali, sic odium veri.

Vide *invidiam* et *vindictam*.

Odium est naturale et acquisitum. Odium naturale est amoris, odium vero acquisitum est amicitiae contrarium. Uti amor est affectio grata, sensoria laetificat, sanguines et spiritus animales novo calore, lumine et vita restaurat, et singulas partes corporis reficit, ita odium est affectio ingrata, et sensoria contristat, sanguines et spiritus animales infestat et meliore sua vita privat, et singulas partes corporis destruit; animus tunc angitur, et cerebrum comprimitur, ex solis infortuniis exhilaratur, serenatur et expanditur: sicuti amor est conjunctio animorum et mentium, ita odium est disjunctio; et sicuti amor est vita et coelum, ita odium est mors et infernum; disconvenientiae, discordiae, disharmoniae odio conveniunt, summa foret laetitia summi odii, si rueret coelum terraque. Sed odii tam naturalis quam acquisiti sunt plures causae, naturae et gradus; odii naturalis causae a statu intellectorii puri et animae scaturiunt, quot enim animae et quot intellectoria, tot diversi status; sunt enim essentiae et formae spirituales perfectiores et imperfectiores, optimae et pessimae, in illis amor et harmonia, in his odium et disharmonia regnat, in quibus amor, sunt essentiae coelestes et secundum amoris gradum amori supremo seu Deo propinquiores, gratiores, feliciores, in quibus autem odium, sunt essentiae infernales et secundum odii gradum a Deo remotiores, ei ingratiores et infeliciores. Odium vero acquisitum nascitur et crescit a dissimilitudine animorum, et a

dissensu et collisione mentium, desideriorum, voluntatum, quas ipsi fines declarant, fines qui desiderantur sunt omnes mentibus grati, ex dissensu, contrarietate et oppositione gignitur odium. Ut amor sit, cedet unus dum agit alter, et vicissim, oppositio unius contra alterum parit odium: uti amor finis est mensura amicitiae, ita oppositio ejusdem finis est mensura odii. Caetera quae de odio observatione digna sunt, ex amorum descriptione haurienda sunt, nam odium est contrarium amori.

Amor sui, ambitio, fastus, superbia.

Ambitio non est amor, sed est aliquid superadditum vel adjectum amori, quod si ab amore separaretur, amor non foret activus, sed passivus: amor videtur esse vita ipsius mentis seu animi, nam mens sine amore nulla est, ita nec animus; ambitio vero est vis istius vitae, vel ardor testificandi amorem mentis, itaque passivum est amor, et ejusdem activum ambitio. Exinde sequitur, quod tot sint ambitiones vel ambitionis species, quot sunt amores; ita ambitio datur in amore conjugiali, in amore parentum erga liberos, in amore societatis, inque amore sui; quae est ratio quod ambitio plerumque accipiatur pro amore, quia amor et ambitio simul sumta mentem et animum seu ejus vitam constituunt. Quia jam ambitio amori tanquam sponsus sponsae adjuncta est, et amores dantur perfectiores et imperfectiores, seu qui sunt virtutes et qui sunt vitia, ita ambitiones dantur perfectiores et imperfectiores, seu quae sunt virtutes et quae sunt vitia, ambitio enim suam essentiam et naturam trahit ab amore cui pacta aut desponsata est: ambitio vitium seu spuria est, quando adjuncta est amori sui, ast virtus seu legitima est, quando adjuncta amori societatis.

Ambitio vitiosa seu illegitima, quae amori sui adjuncta est, summa cupit, quoque altius enititur, altius usque spirat, et crescit eundo, sunt praecipue dignitates, supremi honores, opes mundi, imo ipsum coelum tanquam sibi subjectum, quae cupit; sic ambitio Adami in natura posterorum ejus alte radicata permanet, et quisque ut filius terrae adhuc mente occupare coelum ambit; numinis omnipraesentiam per famam, ejus providentiam per curam universalem, omnipotentiam per pote-

statem supra regiam affectat; imo etiam omniscientiam, nam ignorat, quod aliquid sit quod nescit, ita persuadet sibi quod omne sit quod novit; sic ambitio praestruit viam ad sapientiam, et aperit ad ignorantiam. Elatus ambitione non respicit se ut partem in universo, sed ut ipsum universum, ad minimum quod universum sit propter se, cujus tamen est pars exiguissima, et eo minor quo sibi videtur major; ambitio enim est conjuncta cum contemptu omnium extra se, tametsi callide hoc celat. Totus est in sui intuitione, succenset singulis verbis, quae dignitatem et gloriam ejus laedunt; singulis vero arridet, et intime delectatur, quae tollunt, si usque ad astra. Talis ambitio ut plurimum est naturalis seu connata, et crescit favore fortunae, quod indicium est status perversi intellectorii puri, cujus idearum intellectualium seu veritatum forma est disharmonica ac ordini naturae adversa: qualis autem sit anima, non nostri est judicare: hic affectionis calor in mente rationali proprie dicitur ambitio, ubi est species insaniae juncta ignorantiae, nam se et sui instar in quavis idea contemplatur et admiratur. Ambitio haec in animo seu in sensorio communi audit fastus, in corpore autem superbia, quia est effectus fastus et elationis animi, seque ostentat gestibus ridiculis, aspectu supercilioso, affectatione titulorum, pompa famulorum, comitum, calonum, curruum, equorum, superfluis ornamentis vestium, ac pluribus, quae risum moveant. Talis ambitio quia est vis et ardor, ipsaque affectio, cui inest, grata, laetificat et expandit sensoria tam interna, quam externa, cerebrum, fibras, arterias, ductus, viscera, corpus, unde vocatur tumor, et is dicitur turgescere; ita naturaliter instaurat et reficit statum, quando omnia favent, novamque quasi vitam infundit, ille tamen est tanquam formosa cera putri fimo referta: at vero si forte spe et fortuna excidit, in vagitum infantilem, vel in vecordiam, vel in aegritudinem, vel in insaniam labitur, ardor enim animi exstinguitur, vel remanet furor. Sed sunt hujus vanitatis plures causae, qualitates, gradus, differentiae.

Ambitio vero virtus seu legitima est, quae adjuncta est amori societatis et patriae, haec nunquam parit fastum, minus superbiam, sed humilitatem et contemptum sui; respicit se ut minimam partem universi, et intime laetatur, quod tanta queat

officia praestare; magna cupit et sublimia tentat, non propter se, sed propter bonum publicum; sibi est nullus, patria ei est omnis, is si dignitates, si gazas, si sapientiam cupit, est ut potitus eo amplius serviat; ambitionem istam illegitimam ut pestem aversatur; ita ex amore seu ex fine cognoscitur, qualis est ambitio: talis mens denotat statum intellectorii puri perfectissimum, cujus ideae sunt totidem veritates coelestes, simul statum sensorii interni intellectorio correspondentem; sic est potius naturalis quam acquisitus, raro enim principiis, si imbuitur, ita acquiritur, ut constanter activus sit, nisi continuo sit suo ardore naturali orbatus, et sic influxui mentis supremae accommodatus.

Ambitio autem supereminens seu spiritualis propria animae, est quae adjuncta est amori societatis coelestis: hic suam gloriam felicitatemque non in se, sed in amore Dei, ejusque regno, quod promovere ardet, respicit; humilis est, adorator numinis, contemptor sui, sed quo sibi minor, eo coram Deo major: propter hunc finem hic zelus animabus et ambitio mentibus humanis concessa est.

Humilitas, contemptus, dejectio animi.

Datur humilitas naturalis et datur acquisita; tum etiam humilitas interna seu mentis, et externa seu animi et corporis. *Humilitas naturalis* oritur a contemptu sui, proinde est affectio contraria ambitioni illegitimae, seu amori sui: et prorsus conjuncta cum amore erga alios, qua ratione nuncupari meretur ambitio legitima: quantum enim recedimus ab amore nostri, tantum in amorem erga alios tanquam omnes nobis superiores et praestantiores intramus; proprie testificatur erga superiores, et sic est species venerationis, nam amor erga superiores declaratur per venerationem, ita ut sit ipsa veneratio: hac ratione est humilitas virtus; et si innata vel naturalis, radices suas ab ipso intellectorio puro trahit; sique ab ipsa anima, est testificatio amoris erga Deum, ac sui annihilatio per contemptum, proinde summa religio, adoratio, imploratio gratiae; ex ipsa adoratione, quae est actus humilitatis, cognoscitur qualis et quantus sit amor. Ratio quod humilitas possit esse testificatio

amoris erga alios se re ipsa superiores et perfectiores, vel aestimatos superiores, est quia est naturale, ut influat alterius amor ejusque operatio in nos, ipsi debeamus calores nostri animi et nostrae mentis exstinguere, et illos in statum quendam passivum redigere, tunc amor alterius est qui cum nostro amore operatur, estque illud activum, quod inesse debet amori, ut sit calor nostrae vitae; quae est causa, quod humilitas sit causa conjunctionis mentium aliorum cum nostra, et ipsissima origo benevolentiae; absque statu hoc mentis nostrae amor divinus nusquam in nos operari potest; ipsa vero ambitio spuria per suam activitatem omnem influxum reflectit, et prorsus exstinguit. Hanc virtutem nulla affectio magis comprobat ac laudibus tollit, quam ambitio vitium seu illegitima: illa enim omnium humilitatem poscit, quia omnibus se praefert. Aliter vero Deus, qui non ex amore sui, sed ex amore erga genus humanum hanc humilitatem poscit, ut disponamur ad operationes ejus amoris et gratiae recipiendas; nec gloriam poscit sui gratia, nam in sua gloria est, et ipse est gloria, cui per nostram glorificationem nihil potest accedere, sed quia testificatio gloriae est adoratio, quae est qualis veneratio nostra erga superiores, per quam amorem nostrum declaramus.

Humilitas quae acquiritur, seu acquisita, non ex natura et inclinatione seu ex principiis intellectorio nostro puro et animae insitis ducit originem, sed ex principiis per nostrae mentis reflexionem, a propria experientia vel ab aliorum qui docent, haustis; sique magistris fidem addicimus, ac ipsi veritatem ut exploratam agnoscimus, oritur principium, ex quo virtutes aut vitia acquiruntur. Ita si imbuimur veritatibus, cumprimis hac, quod ambitio illegitima et amor sui sit vitium ac impedimentum communicationis amorum alius et cumprimis superioris, tunc quantum amor sui recedit, tantum loco ejus succedit amor erga alios, et mutuus aliorum erga nos, proinde humilitas: haec temporis tractu, alte radicatis principiis transit in intellectorium purum, et fit quasi naturalis, et tanquam inclinatio in posteros transfertur; quae est origo humilitatis naturalis. Haec *humilitas* vocatur etiam *interna*.

Humilitas externa est solius animi et corporis, non autem mentis rationalis: menti enim insitus potest esse amor sui et

ambitio spuria, et totum sensorium internum seu intellectus noster rationalis ab illo amore occupari, et tamen extrinsecus simulari humilitas, contemptus sui, amor erga alios, societatem, imo erga Deum, verbo honestas et virtus, similiter etiam simulare vitia, amorem sui, contemptum sociorum, et plura; talis humilitas vocatur externa, quia est extra mentem et quasi superficialis. Mens enim est animus superior, seu animus internus, cui subjecta est voluntas, quia intellectus, et judicium, et electio; haec mens, cujus est voluntas, imperare potest animo, externo seu inferiori, et proinde corpori; et quidem per artem ita, ut nec quicquam mentis exstet in vultu, cuivis enim affectioni certi correspondent vultus, formae corporis, gestus et actiones: ita humilitatis vultus hilaris in vultu amati et amantis fixus, status tanquam non suus sit, sed totus alterius, ipsa veneratio elucet in forma actionum, in loquelae accentu, formaque vocum, quaedam cedentia et obedientia; summa vero humilitas erumpit in lachrymas, statum corporis, cujus misereamur, prosternimur, alto clamore, quod nulli simus, pectora tundimus, hi sunt naturales effectus humilitatis in corpore, et ex sua causa, quando indicibus insita est, sponte profluit: eadem haec etiam edocti sumus simulare.

Dejectio animi est tam virtus, quam vitium: dejectio animi virtus existit, quando humilitas ex principiis acquiritur, seu amor sui et ambitio spuria mente nostra expellitur; illico tunc succedit ambitio serviendi, obediendique aliis, seu ab aliis patiendi nos agi: amor etiam sui, ambitio, seu hic animus quoque dejicitur, per aegritudines, morbos, infortunia, anxietates; sed haec sunt Providentiae divinae. Animi vero dejectio vitium ex subita exstinctione caloris seu ambitionis spuriae existit, remanente usque amore sui absque calore et possibilitate agendi; tunc organis cumprimis internis, et exinde externis et corporis vis aut violentia infertur, et in ploratum, desperationem, vecordiam, aegritudinem, morbum, insaniam, magiam, erumpit.

Spes et desperatio.

Quando ambimus et desideramus id quod amamus, sed interjiciuntur impossibilitates, ut consequamur effectum seu fi-

nem, status ille desiderii tunc vocatur spes, ac inesse videtur voluntati, spectatae ut conatus, quem resistentiae inhibent, ne in actum vel in motum erumpat: ita spes non est affectio mentis, sed ejus voluntatis: voluntas enim semper agere conatur, sed quamdiu resistitur non agit: interea afficitur a quadam spe, ut usque inter inactionem et actionem libretur. Ita spes non est animi, sed est mentis rationalis, quia est ejus voluntatis, ita homini, non autem brutis et irrationalibus propria. In tantum crescit et augetur spes, in quantum recedunt vel removentur impossibilia, id est, resistentiae, quae ut removeantur, prudentiae et calliditatis opus est. Spes vero in se major et minor est secundum gradum amoris et desiderii finis, quem ambit seu optat. Ergo spes respicit omnes fines desideratos, proinde est omnium affectionum, quae sunt fines: hac ratione spes est continuatio vitae, id est, amorum, ut et illorum caloris seu ambitionis. Spes autem suprema est in Deum, cui nihil est impossibile; quare spes est una trium virtutum spiritualium.

Desperatio existit quando spe excidimus, tunc etiam cum ipso fine amor et ambitio, id est vita et calor mentis collabitur et quasi exstinguitur, inde dejectio animi, cujus effectus supra descripti sunt: effectus in genere sunt diversae species insaniae, quae sunt aegritudines mentis; diversae species vecordiae quae sunt aegritudines animi, et diversi morbi, qui sunt corporis.

Amor immortalitatis famae post mortem.

Amor immortalitatis famae, seu ut vulgo vocatur, sui nominis singulis inest naturaliter, quod ex innumeris indiciis apparet, quis non pompam funebrem et exequias cupit, et tumulum, qui sit monumentum post fata corporis sui nominis gratia permansurum, struere et erigere gestit, quis non ad sermonem et susurros laetatur et tanquam ignotis adblandimentis afficitur, quando dicitur, quod famam immortalem aucupaturus sit, et gratiam posteritatis meriturus; imo ipse sibi gloriatur, et ei universus coetus instinctu quodam applaudit, si dicendo persuadeat, quod non sibi sed posteritati inservire studeat; inde reportat gloriam magni viri. Ex his et ex perplurimis documentis aliis evidenter confirmatur; quod amor immortalitatis nostri,

seu famae aut nominis, insitus et connatus sit, proinde quod sit una veritatum, quae intellectorio puro insunt: id nisi consciret intellectus purus, et anima et intellectus purus, nequaquam talis amor menti nostrae rationali inexistere potuisset, et quia inexistit, sequitur quod id sit veritas, quod post fata nostri corporis victuri simus. Sed mens nostra rationalis non capit id ex se, verum quia originem hujus amoris ignorat, etiam existentiam ejus negat, et quidem istae mentes ardentius, quae fines unice naturales intuentur, ambiunt et desiderant; mentibus enim nostris rationalibus inest tam naturale quam spirituale, praedominante uno suffocatur alterum, usque tamen remanet tanquam ignis sub scintilla, quum exsequias illustres exoptant.

Sed hic amor et hujus amoris ambitio est supereminens estque virtus et est vitium, *virtus* quando nomen immortale virtutum, honestatis, meritorum in societates, patriam, et adhuc major, quando non solum in societates praesentes, sed in omnes futuros, affectat; nam si amor detur erga societates et patriam innatus, necessum est, ut ille qui erga omnem posteritatem extenditur, sit major: talis amor seu ambitio virtus cum nullo sui amore conjuncta est, purus est amor, si non desiderat, ut vivat nomen, sed ut vivat officium et ipsa inde consequuta utilitas publica; tales sunt heroës orbis, nam omnem gloriam gestorum et meritorum spernunt, imo aversantur, sed ex intima conscientia laetantur, quod felicitatis et salutis patriae fuerint instrumenta, et quod solum coelum, aeternaeque essentiae et Deus consciat, cui sic quasi similitudine spirituali appropinquant: quod etiam animae tales, defuncto fatis corpore, non solum in se, sed etiam extra se ab animabus caeteris, cum quibus non possunt non immediatam habere affectionum spiritualium communicationem, coelum quoddam sortiri; de his ipsa fides, ut et ipsa ratio dubitare vetat, sed de his alibi; tales interni homines omnem istam nominis famam, quae ex monumentis, palatiis, aedibus, colossis, amphitheatris, titulis inscriptis, et caeteris, contemnunt, imo aversantur; nam superiora sunt, nec cum his inferioribus comparanda sunt, quae affectant. Amor vero talis *vitium*, est quando exstinctus est, et nullus inest, sed dissimulatur, quod insit; ut sui factorum aestimationem ex puritate quadam seu veritate vulgo credulo in-

sinuet. Vel etiam quando est supereminens amor sui et ambitio spuria; in his etiam naturaliter regnare solet; sed finis est sui, non virtutum fama, qualis in eo, qui Templum Dianae Ephesiis combussit. Sed absque hoc amore, nullus suam prolem amaret, non enim se in illa immortalem victurum intueretur: nec ullus pro patria ex quodam amore pugnaret, mortem oppeteret, se ut sacrificium amaret, unde vera virtus heroica, qualis in Gustavis nostris et Carolis: Divina Providentia ut plurimum conspirat, ut scilicet optato potiantur.

Generositas, magnanimitas: quid amores mundi et corporis.

Animus dicitur generosus et magnus, quo elevatior est a mundanis et corporeis, et sic propior coelestibus et divinis, per animam hic intelligitur animus superior seu mens, quare etiam hic animus, divinus vocatur. Hic corporea et mundana aestimat ut respective nihili, quia mutabilia, inconstantia, caduca, transitura, vitae expertia, futura nulla, duntaxat ut instrumenta vitae, quibus pretium secundum servitia assignat; coelestia vero ut unica, sola essentialia, et ipsa quae sunt, perpetua aeterna, ipsa felicia.

Mundana in stricto sensu significant tellurem, et universum cum suis orbibus, Lunis, Sole, Sideribus, tum praecipue omnia quae in tellure sunt ejusque triplici regno. Ipsae societates humanae vocantur mundi, et quisque in hac societate microcosmus, sic mundana sunt Divitiae, Possessiones et caetera telluris, quae in se glebae sunt, sed in societate audiunt bona, quae famulatura sunt vitae. *Corporea* vero quae soli corpori et animo adblandiuntur, ut sensationes tactus, gustus, olfactus, auditus, visus, seu earum omnes affectiones gratae; tum etiam dignitates et honores, et caetera quae praetereunt, quando unice corporis et animi gratia ambiuntur. Hi vocantur amores mundi, et cupiditates animi, voluptatesque corporis, quia sanguis et organa externa iis afficiuntur. Mens nostra rationalis est tanquam trutina bilancis inter corporea et spiritualia, seu inter mundana et coelestia; una lanx est corporis et animi, altera vero est mentis purae et animae; si pondera lancis corpo-

reae praevalent, tunc spiritualia et coelestia fere nullius sunt ponderis, ita eorum scala elevatur, si vero lanx altera praevalet, tunc mundana et corporea nullius ponderis sunt, ita inter coelum et mundum libramus; pondera lancis corporeae naturaliter praevalent, quia delitiarum ejus conscii sumus, seu sensu illarum manifeste afficimur; sed lancis coelestis non sunt pondera, sed solae vires, et praevalent quia delitiae earum ineffabiles sunt, infinitae, aeternae, ac intime insunt memoratis ponderibus, ita ex sola idea supereminentiae.

Qui magnanimus est, omnia mundana et corporea spiritu suo et mente spernit, sed aestimat solum ex usu in promovendis iis quae superiora sunt, ut gustum non propter saporem, sed quod sapore indicet qualitatem sui alimenti, et appetere facit; modulamina cantus, harmonias musicas, voces articulatas suaves et similia, non propter gratiam affectionis, sed quod corpus recreent, sanumque praestent suae menti. Amoenitates camporum, pratorum, colorum, theatrum sidereum universi, non ut delitias in se, sed quia mentem exhilarant reficiuntque, eique dant facultatem intelligendi, et copiam ex singularibus judicandi universalia et ipsas veritates, et praeterea opificem talis mundi admirandi adorandique. Divitias et possessiones non ut fines, sed ut media ad fines superiores, ita etiam dignitates et honores: is qui haec omnia respicit ut nuda servitia utque causas instrumentales in se mortuas, ac unice veneratur superiora ab iis abstracta, *magnaminus* est; et quia actu id confirmat, *generosus*. Universa enim natura ita creata est, ut pro instrumento inserviat vitae et essentiis spiritualibus, quarum arbitrio prorsus subjecta est.

Ipse amor et ipsa ambitio declarat, quis magnanimus et natura generosus est, ipsa etiam magnanimitas et generositas indicat, qualis est amor et ambitio. Sunt in genere non nisi duo amores, scilicet amor corporis ac mundi, et amor coeli et numinis: amor sui et ambitio spuria declarat amorem corporis et mundi, et contemptus sui seu amor serviendi publico atque ambitio genuina declarat amorem coeli et numinis, ad minimum quod semitam ad illum ducentem premat: ex amoribus istis cognoscitur quis vere magnanimus et generosus est. Sed

magnanimitas et generositas etiam datur simulata ob finem ut sit medium potiundi corporeis et mundanis.

Ita magnanimitas non est aliqua affectio, sed est ipsa animi mentisque qualitas; ex illis enim judicatur qualis est animus, et ad quos amores inclinat.

Pusillanimitas et vecordia.

Pusillanimus opponitur magnanimo, ideo ex oppositis magnanimitatis cluit, quid pusillanimitas, et ex oppositis generositatis quid vecordia. Pusillanimus non sui est juris, nec sufficientis intellectus, ut mentem suam elevet, sed inconstanter in utramque partem aufertur, quo illum libido, praesumtio et persuasio trahit, nec nisi momento pendet in sublimioribus, a quibus in inferiora illico relabitur, et corpori suo immergitur. *Vecors* autem superiora prorsus spernit, ac inferiora toto animo et corde amplectitur, haec ut unica et omnia, haec vero ut entia rationis considerat, ita est animal et brutus homo. Caetera ex descriptione magnanimitatis et generositatis haurire licet.

Avaritia.

Avaritia est amor divitiarum et possessionum telluris; ast ex fine cognoscitur qualis sit; naturale est in tantum amare opes, in quantum fines, quorum consequendorum sunt media, quare etiam brutis quibusdam imo insectis naturale est, necessitates vitae pro ventura hyeme colligere et reponere; et quia pecunia est medium universale, tam fines intermedios quam ultimos promovendi consequendique, nervus rerum gerendarum vocatur: hoc non est avaritia, sed prudentia providendi media, seu providentia humana a Deo concessa, praecipue si amor medii non excedat amorem finis; sed vadit plerumque ultra; nam ipsi amores mundani et corporei nusquam sistunt gradum, sed in quovis passu nova capiunt incrementa, sicuti amor dignitatum, honorum, regnandi, amor vanitatum, ostentatio, superbia, amor voluptatum; amor prospiciendi suis non solum ad suae vitae finem, seu ad omnium descendentium,

proinde etiam nepotum, storge enim semper perpetuum quid spirat, quare crescit erga nepotes et abnepotes; in simili gradu etiam amor divitiarum, id est, mediorum ad perpetuum hunc finem: sunt etiam amores superiores, quorum media sunt opes, ut cultivandi tellurem, defendendi patriam, conservandi societates; quare summa cura est principis, ut regnum divitiis abundet; quibusdam etiam finibus spiritualibus pro mediis inserviunt, ut exercendis operibus charitatis, opem ferendi egenis, promovendi propagandique cultum divinum, aedificandi templa, et plura: jam quia pecunia est tot finium et fere universim omnium universale medium, et unicuique sunt sui amores, desideria, fines, sequitur quod amor seu aestimatio pecuniae per totum orbem regnet.

At vero si opes non ex causa finium, sed propter ipsam possessionem expetuntur, id est, si non ut media, sed ut fines respiciuntur, tunc est avaritia quae sordida audit, estque ipsa vecordia, character animi vilis: contra ipsam naturam et contra principia omnis rationis, ut respiciantur ut puri fines, quod enim in se medium, non potest esse finis, sed in causa est, quod in pecunia possibilitatem omnium finium intueantur, consequenter omnes amores potentia: mens enim delectatur plus intuitione amorum, quam corpus executione aut ipsis voluptatibus, intuitio enim constantior et magis perpetua dari potest, at voluptas est inconstans et finita post actum, ut in venere, quare voluptates nostrae imaginationi adscribuntur; ipsa enim vita mentis a similibus amoribus viget: accedit, quod in avaris mentibus, omnes isti amores, quia omnium possibilitas, remaneant, ex quibus universalis idea, quae eo gratior est, quo universalior, excitatur, haec videtur causa esse avaritiae; id confirmatur adhuc ab ipsa sede hujus affectionis, sedes ejus unice est in mente rationali, non enim est affectio mentis superioris, quia nusquam est naturalis, sed tempore acquiritur, et crescit in senio, quantum scilicet amores corporei recedunt, nam est affectio animi, quia nulla est corporis, animi enim cupiditates, et corporis voluptates sunt inseparabiles.

Sed avaritia quanta mentis aegritudo, insania, irrationalitas et sordities sit, satis apparet ab effectu, quo enim altius irradicatur, eo caeteri amores magis obtunduntur et exstirpan-

tur, mens enim a perpetua hac idea occupata quasi suffocatur, nec corpori, sed Telluri immergitur, sic impossibile est, ut versus superiora elevetur, utque spirituale in tam crassum naturale influat; sic perinde est quem Deum avarus colat, sique ipsum Plutonem, adorat enim ut benedicat, id est ut novas opes apportet, ipsa vero mente suos thesauros ut numen, in quibus omnem possibilitatem, providentiam, potentiam, gloriam suspicit, et sic tacite divinum prorsus negat. A mente avari omnis amor societatis prorsus ejicitur, similiter amicitia, tum quoque amor suorum, qui tamen summe naturalis est; vixque remanet amor corporis, quia est amor telluris, omnes enim cupiditates quia voluptates ut sumptuosas aspernatur; etiam honores et famam nominis, nam sibi persuadet, quod omnes in universo honores potentialiter possideat, ita supremus sui amor regnat, nam se ut universum, non autem ut partem universi, credit; ita nulla non vitia inter virtutes reponit, ut injurias sociis illatas, machinamenta integras domos ad incitas redigendi, et similia innumera.

Haec emendanda sunt, non enim ex suis originibus deducta sunt.

Prodigalitas, Liberalitas, contemptus opum.

Prodigalitas ex diversis causis profluit; Prodigus enim vel fines nimium ardet, vel nullos desiderat, vel praesentia solum et non futura respicit, vel nescit opes esse media consequendorum finium, vel credit illas ex se et sponte confluxuras: vel ut animum generosum ostentet; vel quod opes ut irritamenta malorum aspernetur. Ita prodigalitas est vitium et est virtus: quando est vitium, proprie dicitur prodigalitas, quando autem virtus, liberalitas, quae est species generositatis et magnanimitatis, et quando virtus supereminens, vocatur contemptus pecuniae. Prodigalitas est animi, non autem mentis rationalis, sic differt prorsus ab avaritia etiam quoad originem; quod sit animi, non vero mentis, liquet a genio prodigi, non enim futura, sed praesentia curat, et in diem vivit, vel etiam voluptates ut fines nimium ardet, et sic genio, seu animo solum et cupiditatibus indulget; vel nullius finis desiderio incalescit, ita

stipes vel mente captus, vel nescit opes ut media finium generalia cura acquirendas esse, ut adolescentes pueri; haec omnia indicant animum esse prodigum, non autem mentem. Liberalitas etiam vel est vitium vel est virtus, est enim propter finem, et finis qualificat media, est vitium si propter amores mundi et corporis, et si ostentatio: est virtus, si propter amores superiores, ut operum charitatis, tunc respiciuntur opes ut mutuo acceptae, suae administrationi commissae, dispensandae reddendaeque. Contemptus pecuniae, si non simulatus, est virtus supereminens, contemptor enim in eo gradu pecuniam quo vitia et mala, quorum irritamenta sunt, et perpetuae illecebrae, aversatur; opum enim possessio nusquam potest separari ab idea delitiarum et voluptatum, quarum sunt media promoventia, id quod futurum est, et quod potest esse, intuetur mens tanquam praesens et tanquam esse, ideo omnes amores mundi et corporis in idea, tanquam forent in actu, ita possessio opum perpetuo irritat, et est universalis illecebra, mens sic descendit et se circumfundit in omnia naturalia, mundana scilicet et corporea, a quibus se ad superiora, coelestia et divina levare, ei impossibile est; si hanc ob causam contemnitur pecunia, est, ut dictum est, virtus supereminens.

Misericordia, charitas.

Sunt qui ex natura misericordes sunt, qui ex usu, qui ex causis pure moralibus, et qui ex principiis rationis. *Misericordia ex natura*, seu quod idem est, ex mente pura et anima, ex innato amore erga alios profluit, sic ut cum ipso amore, cujus primus effectus est, et alter charitas, coincidat. Amor enim respicit alium ut se ipsum, ita aliorum miseretur, tanquam sui si miser esset. Amor erga conjugem, liberos, consanguineos, id est, suos, producit misericordiam, et haec charitatem, quae se extendit; quousque amor. Amor erga societatem et patriam, et quae universalior est, erga genus humanum, universalissimus erga omne genus humanum praeteritum et futurum, priori purior et perfectior, producit misericordiam, et haec charitatem erga omnes, qui ab hoc amore vocantur proximi spiritualiter, propiores vero et remotiores naturaliter, nam sola na-

tura gradus admittit. Ita misericordia et charitas non est conjuncta cum amore sui et ambitione spuria, proinde est virtus omnium virtutum; talis amor dari nequit absque suo effectu; ideo ex charitate et ex misericordia, quae sunt effectus, judicari potest de amore, proinde de statu mentis et animae. *Misericordia ex usu* aemulatur misericordiam ex natura, transit enim in quasi naturalem, nam tractu temporis mentem imbuit principiis amoris; haec proprie est virtus moralis, quia inest voluntati non ex se, sed ex nobismet ipsis, ad quam contribuimus quantum causae instrumentales per adplicationem ad influxum causae principalis. *Misericordia ex causis pure moralibus* etiam concipitur, et per usum acquiritur, et sic nascitur, scilicet ex principiis de virtute et pietate, sed haec misericordia ponit fidem non intellectualem, ideo insinuatur ex obedientia per usum; fides enim non est in nostra potestate. *Misericordia ex principiis rationis*, vel ex amore spurio vel ex amore legitimo derivatur ex amore spurio, id est, sui; qui sui est amans nunquam est misericors, non enim alios ut se ipsum amat; nec ille qui odit, usquam miseretur ejus quem odit, nullus etiam alium odit ut alium, nisi se amet, id est, propter causas amori sui oppositas; usque tamen opera misericordiae externa ex principiis ejusdem amoris seu sui profluere possunt, ut scilicet videatur charus, misericors, amans aliorum, conscit enim quod sit virtus, quare ipse amor sui urget, ut talis appareat, et sic magnus audiat; vel etiam ex principiis, ut alii ejus misereantur, si miser homo futurus sit, tunc vero exercetur charitas erga divites, ut remuneretur, sed absque misericordia et amore. Misericordia ex principiis de amore legitimo, ponit fidem intellectualem, seu quod persuasus sciat misericordiam esse effectum amoris puri, coelestis et spiritualis: principia mentis sunt totidem veritates rationales, nam quisque credit principia sua esse veritates.

Effectus misericordiae est anxietas in mente, tristitia in animo, et quandoque ploratus in corpore, et simul vox misera; exstat etiam imago misericordiae in ipso vultu: ita misericordiae et tristitiae effectus coincidunt; sed talis est, qualis est in se, quando ipse patitur, ille enim, cujus miseretur, est alter ipse.

Objecta misericordiae sunt innumera, generale objectum

est paupertas et infelicitas: sunt etiam qui aliorum opulentiae et dignitatis miserentur, scilicet quatenus respiciuntur ut infelicitatum causae, et vitiorum irritamenta, unusquisque miseretur avari. Paupertas datur in mundanis, in intellectualibus, et in spiritualibus; quae sit paupertas in mundanis, notum est; paupertas in intellectualibus est ignorantia, hallucinatio principiorum seu opinionis de veritatibus, est fatuitas et insania. Paupertas in spiritualibus est imbecilla aut nulla fides, frigidus aut nullus amor numinis, sic et nulla charitas ex ipsa anima charitatis: hae omnes paupertatis species sunt etiam infelicitates. Sed de paupertate et infelicitate judicare est mentis nostrae rationalis, ideo ipsa electio et applicatio est tam varia, totque sunt varietates, quot mentes, cum illo enim cujus miseremur, semper intercedit aliqua principiorum correspondentia: ideo haec applicatio non est naturalis, sed est acquisita.

Timor et metus.

Nihil est naturalius quam tueri suam essentiam et vitam, et velle esse quando est, et cum quo in nexu per formam; anima quae est essentia viva, dum sibi corpus univit, illud organis sensoriis instruxit, ut animadverteret quicquid destruere conaretur; ad singulos insultus qui laedunt, etiam per disharmoniam, dolet, contristatur, se alterat, et comprimit, ipsa haec alteratio vocatur timor; in timore enim se contrahit fibra, et se recipit in se, indurat, sicque resistit absque sensu, expellitur arteriis sanguis, ut palpitet cor, ex fibris spiritus animalis, vi sua motrice privantur musculi, perceptibilitate organa sensoria, frigus et pallor occupat faciem et artus, algent et tremunt, animus absque suis cupiditatibus cadit exstinctus, in mente est mortis imago; ita timor est quaedam exstinctio mentis et animi et quasi mors praecurrens corporis, exstat enim ejus effigies in corpore.

Cum vita animi et vita mentis a puris amoribus, quia ab affectionibus, constat, sequitur quod apprehendamus, metuamus aut timeamus jacturam omnium et singulorum amorum, qui quia sunt fines mentis, timemus etiam omnem causam mediam et efficientem istius jacturae, id est, omnia quae aliquam

noxam quam credimus lethalem inferunt: quantum itaque amamus finem, tantum metuimus ejus privationem, et horremus ejus annihilationem, similiter subjecti, in quo est finis, non enim dari potest amor ut finis, nisi sit in aliquo subjecto.

Est itaque omnis timor naturalis, et tantus ac talis, quantus et qualis est amor seu finis quem desideramus: sunt quidem amores tam naturales quam acquisiti, sed sive amor sit naturalis sive acquisitus, usque tamen unumquemque comitatur timor ac alteratio ex natura, quum imminet periculum ejus exstinctionis seu privationis: haec natura inest menti rationali, cui amores, desideria et fines; nam quicquid mens non animadvertit, hoc nec timet, et quando timet, est mens sui impos aut non sui juris, nam deliquium patitur.

Quot itaque sunt amores, et quot species amoris, tot sunt timores et tot species timoris, quisque naturaliter timet suo corpori, sive se ipsum prae aliis, sive alios prae se amat, est enim amor cuivis innatus conservandi nexum inter animam et corpus, ubi est nexus et dependentia unius ab altero, ibi est amor: qui se ipsum prae aliis amat, is etiam pro sua salute plus timet quam pro salute aliorum; qui vero alios plus quam se ipsum amat, is pro aliorum salute plus quam pro sua timet, ita ex timore noscit, qui, qualis et quantus est amor: qui patriam plus quam se amat, gloriosum ducit pro patria occumbere, ad minimum pro fama, cui hoc illustre decus inest; qui sponsam, prolem, aliosve supra se amat, is oppetit mortem potius, quam ut videat suos amores exstinctos; id etiam brutis naturale est, ut timidis damis, cervis, gallinis, anseribus, genitrix enim se intrepide opponit hosti, qui pullos aggreditur: qui famam praefert vitae, metuens est famae seu timet ejus jacturam: magnanimi sunt, penes quos fama honestatis et virtutis est quae timetur. Exinde sequitur quod timor jacturae amoris superioris incutiat intrepiditatem amori inferiori; heros est qui nullam timet jacturam vitae corporis, quando fama periclitatur, cujus jacturam immensum timet; idem etiam heros pro suo corpore summopere timet, quando famae nullum discrimen adest, ob finem ut vivat famae et societati.

Vecors est, qui corporis sui vitam praefert vitae famae, honestati, virtuti, societati, patriae, genti humanae; adhuc vi-

lior, qui opes et similia sibi suaeque vitae praefert, ut avarus, omnium timidissimus, usque intrepidus defensor est gazae, qua orbatus persaepe necem sibi infert. Vilissimus et mortalium infimus est, qui pro veritate, sacris, coelo, numine nihil timet, sed unice pro sua vita; timores declarant quales sunt amores, et quem quisque alteri praefert; qualis fuerit amor, et qualis timor jacturae amoris Dei, martyria docent.

Sublimes et supra mortalia jamdum elevatae animae mortem pro veritate cumprimis coelesti et divina subeundam non timent, quia ipsam veritatem ejusque exstinctionem timent: ast veritates nostrae, praeter divinitus revelatas, sunt mera principia mentis rationalis, quae omnes credimus esse ipsas veritates; pro his defendendis nulla extimescere vitae pericula aut mortem oppetere, denotat quidem mentem sublimem, sed insuper insanientem; talia sunt quaedam martyria haereticorum et aliorum similium, quos historiae memorant.

Fortitudo, Intrepiditas, animositas.

Fortitudo est virtus heroica, cumprimis in bello, et manifestatur in praeliis, conjuncta cum intrepiditate et magnanimitate. Dantur plures fortitudinis species, quae omnes videri volunt heroicae: mentes vulgares opinantur, illam per solam intrepiditatem et animositatem declarari, sed genuina se ipsam declarat semper evidentius et fortius, quo causa agitur major, superior, universalior, atque eo languidius, quo causa vilior, inferior et minor: fortitudo summa est, quando intrepiditas in causa minore major est, et in causa majore minor. Vecordes et avari caeteraeque infimae mentes, quae a minimis susurris extimidantur, etiam intrepidi sunt, quando tuendae sunt opes, at vero in causa publica, a visa sanguinis gutta, exanimantur.

Nil difficilius cognoscitur et exploratur, quam fortitudo num genuina sit vel spuria. Fortitudo genuina, quaecunque agitur causa, nunquam vertitur in timorem, sed loco timoris in iram, sed tunc ira est zelus et justus dolor; fortitudo spuria intime recondit timorem, extus et superficietenus ostentat animum, et si vertitur in iram, est ira injustus dolor aut furor. Fortitudo genuina mitis est, patiens et clemens, etiam in hostes:

at spuria accenditur et effervescit usque in crudelitatem. Fortitudo genuina in summis vitae periculis animo menteque praesens est, eoque praesentior et prudentior, quo discrimina sunt majora; fortitudo spuria tunc animo vel linquit vel furit, et tanquam mentis inops insanit, est quasi extra se, non vero intra se. Fortitudo genuina nunquam amori sui est adjuncta, sed est individua comes amoris plurium et societatis supra suum, cum qua crescit; fortitudo spuria ex principio contrario, extremus enim amor sui etiam immortalitatem famae spirat, sed num sit ex fortitudine genuina aut spuria dignoscitur ex eo, quod illa non velit, sed haec quod universo orbi ambiat videri, ita ex charactere ambitionis cognoscitur quae sit fortitudo. Fortitudo genuina cum humilitate, adoratione, timore et amore numinis est conjunctissima; Fortitudo vero spuria cum fastu, superbia, invidia, impietate, et numinis vel contemptu, vel odio, vel negatione. Fortitudo quo major est, eo major vita, quo minor, eo minor vita, ut fere morti sit aequiparanda.

Intrepiditas quae fortitudinis est attributum non acquiritur, sed connascitur, proinde est gentilitia, et in seram usque posteritatem a suis parentibus descendit, fortes enim gignunt fortes; integris etiam gentibus solet esse naturalis. Intepridus enim proprie non timet jacturam et exstinctionem amoris aut finis quo ducitur, sive sit pro vita, sive sit pro fama, sive pro patria, sed illa intrepide defendit: erigitur enim et accenditur ejus animus ad omnem insultum, et eo ardentius, quo verius a natura est fortis, sed simul moderatius, quo majus imminet discrimen: ipsa enim fortitudinis verae intrepiditas est cum praesentia animi et mentis conjuncta, et probe discernit discrimina, qualia sunt, et consilia capit in arena, ita vel cum ardore vel cum prudentia secundum statum periculi et possibilitatum agit. Timor autem, qui est contrarius effectus, et similiter naturalis, ad periculi praesentiam non erigit et accendit animum, sed illum dejicit et exstinguit.

Uti timor, etiam intrepiditas, quia uterque naturalis, ipsi sanguini, sanguinis spiritui, eorumque organis, et corpori inscribitur; adeo ut intrepiditas ex ipso vultu, oculis, sono, respiratu, musculorum viribus, actionibusque eluceat; cumprimis ab arteriis corporis et fibris cerebri, quae fortiores et robustiores

sunt in intrepidis quam in timidis, sanguini enim arterioso et spiritui animali inest robur totius corporis, quae est ratio quod fortibus magnum cor, et magnus animus, qui est Cerebri, adscribatur; vis hujus sanguinis et spiritus ab intimis id est a mente superiore seu intellectorii puri excitatur, inde praesentia animi et lux alacris affusa menti, calor et quasi fervor sanguinis, robur artubus, et aliqua spumescentia in buccis et glandulis. Talis fortitudinis et intrepiditatis exemplar Carolus Septentrionis Heros nostro saeculo vixit, cui gentilitium fuit, quia id a Carolis et Gustavis magnis suis Parentibus traxit; ille nescivit quid esset quod alii vocabant timorem, adque omnes minas mortis, risit; ita vixit vitam, quam etiam victurus est, a morte remotiorem, et vita caduca corporea superiorem. Talibus animabus, quia Divinum est, singularis Providentia adest, et providet vitam, ad quam non aspirant, etiam inter mortales immortalem.

Quod non omnis fortitudo et intrepiditas sit connata, sed quod etiam detur acquisita, persuaderi videmus a timidis et trepidis, qui quandoque fortes agunt, sed non ex natura, sed ex arte et statu eorum sanguinis et spirituum mutatione: potus enim inebriantes, alimenta sanguinis fervorem excitantia, ipsae etiam febres, maniae et insaniae solent similes infundere animos, et mentes usque ad fortitudinem quasi elevare: sed haec non est fortitudo, sed animositas, quae solum est in sanguine, corpore, superficie, et in extimis, latet usque intime repostus timor, qui cessante hoc sanguinis fermento redit. Ex ipsa hac animositate etiam confirmatur, quod fortitudo et intrepiditas sit naturalis: illa enim in his non excitatur, priusquam ipsa natura sanguinis et spirituum est mutata, et cessat cum causa mutante, omne enim naturale, si vel furca expellatur, tamen usque recurrit, nec his mens aliqua rationalis adest, ex qua ipsa fortitudo scaturit, nam inebriata est: utque primum relabitur timor, ad solam ideam discriminis jam emensi palpitat cor, ruit sanguis in venas, concidunt articuli, et excitatur gelidus sudor.

At vero, quibus innatus est timor, sed mens principiis virtutum et de amoribus supremis imbuta est, ex quibus similem naturam vehementer exoptat, suamque, quod non votis corre-

spondeat, odit, de illo praedicari fortitudo acquisita potest, si ob finem, ut causa flagitante intrepidus et fortis sit, per media naturalia supra memorata excitet et inebriet sanguinem, quae respicit ut auxilia resuscitandi vires natura languidas et torpentes. Haec fortitudo eo major est virtus moralis, quod non ex se aut tanquam ex instinctu cadat in mentem, sed ex agnitione veritatis, quam in aliis extra se veneratur, et in se non nisi quam per media in actum excitari posse videt: quicquid enim mens ex se facit, est virtus aut vitium, quicquid vero non ex se, sed ex natura, id non est virtus, nec vitium, antequam mens in partem condescendit. Sed haec fortitudo acquisita nusquam naturalem aequat, est enim inconstans sicuti mens, quae regitur a principiis.

Indignatio, ira, furor, zelus.

Ut intelligatur, quae et qualis affectio respective ad caeteras animi sit ira, instituenda est quaedam comparatio cum affectionibus, quae pure naturales sunt et visui nostro obviae; quaedam enim similitudo intercedit, quam ipsi agnoscimus ex sola propositione; supra observatum est, quod amor sit ipsamet vita mentis animique, absque enim amore nulla daretur mens nec animus: in sequentibus etiam confirmandum venit, quod intelligentia mentis correspondeat lumini, quae est ratio, quod intellectui nostro adscribatur lux, claritas, umbra, caligo, et caetera quae sunt luminis. Observatum etiam supra est, quod ambitio comparari queat cum calore, amor enim absque ambitione est quasi vita absque calore: zelus autem aequiparandus est igni cuidam, ambitio enim absque zelo, est quasi calor absque igne: quando zelus seu ignis mentis superioris transit in mentem rationalem, quae est mens inferior, tunc a vulgo vocatur excandescentia; quando autem in animum, et ab hoc in corpus, fit ignis corporeus et impurus, qui dicitur ira, ipsum incendium vero furor. Ex quibus apparet, quod principium excandescentiae, irae et furoris sit in ipsa anima et intellectorio puro, scilicet quod in illis concipiatur, seu ab illis innascatur; et sic quod in ipso suo fonte sit zelus aut ignis purus, naturaliter mitis, actualis dum veritates spirituales

et naturales tuendae sunt; at quod impurus per derivationem evadat; dum enim mens excandescit, tanquam aliquo zelo sua principia, quorum amore tanquam totidem veritatum, aufertur, defendit, et contraria oppugnat, unde jurgia et lites philosophicae. Verum, quod haec mentis excandescentia erumpat in quendam ignem seu iram in animo, et tandem in incendium, quo integrum systema seu corporeum conflagratur, id est, in furorem, id apparet ab ipso effectu, se enim manifestat per sensibilem calorem et ignem, nam ardet sanguis, aestuant viscera usque ad medullas, inflammantur membranae et extrema, exasperatur respiratio et indurescit sonus, sicuti aër quando incalescit, intumescunt arteriae similiter ac atmosphaera calefacta, turbantur sensus tam interni quam externi, tanquam excitati ab aequilibrio suo naturali in turbam motuum a quodam igne; fomenta etiam crassiora adjiciuntur, seu fermenta loco suo emoventur, bilis scilicet usta, quae in cysti sua fellea latet, ac in massam sanguineam infunditur, ex cujus ramentis et duris particulis lenior et mollior sanguis externis stimulis in similem aestum exsuscitatur; ita nulla vel minima pars caret ira, aut aestu.

Ergo zelus est naturalis affectio mentis superioris, seu animae et intellectorii puri, ut scilicet anima veritates suas spirituales, et intellectorium veritates naturales tueatur, ac ipsas falsitates, quae veritatibus contrariae sunt, cum aucto calore seu cum igne oppugnet. Dato enim falso et dato vero, ac dato malo et dato bono, ac data vi agendi seu vita utrique, necessum est, ut sit zelus seu calor usque ad ignem actus, ut hostes oppugnentur. Quae est ratio quod Essentiis spiritualibus et ipsi numini zelus attribuatur, qui describitur tanquam excandescentia et ira: tum etiam quod unusquisque dum excandescit et irascitur, id cuidam zelo licito veritatis et justam causam tuendi gratia adscribat. Talis affectio nulla foret, nisi foret hostis; est ideo ira evidens indicium quod in mundo spirituali et invisibili sit malum quod oppugnandum est.

Mens vero nostra rationalis, quae sua principia ut totidem veritates respicit, dicitur etiam zelo quodam accendi; sed quia ipsa principia nostrae rationis raro sunt purae veritates, hinc zelus hic raro etiam est purus; ipsa excandescentia inde ori-

unda est immitis et vehemens, sicuti carbonis igniti, qui a suomet igne consumitur: num autem hic ignis sit purus vel impurus, id cognoscitur ex ipso amore, et ex singulis mentis affectionibus et desideriis, cumprimis ab ambitione, quae est calor, et proxima hunc ignem exsuscitat; qualis itaque est amor aut qualis ambitio, talis est zelus aut excandescentia mentis.

Ut primum vero erumpit hic ignis a mente rationali in animum, dilabitur quasi a sphaera idearum immaterialium in sphaeram idearum materialium, et vocatur ira, nam animus dicitur irasci, a quo prona est via in corpus, quod animi irae convenienter aestuat, fervet, flammam rapit et furit, omnis enim animus immediate transfunditur in corpus.

Indignatio vero est solius mentis rationalis, et est primus gradus excandescentiae; indignationi tamen insunt plura adhuc, quae moderantur, temperant et arcent ne erumpat; vel enim est timor, vel aliquis amor, vel pudor, vel tristitia, quae totidem sunt fraena et resistentiae, quae cohibent.

Patientia, mansuetudo, animi tranquillitas, impatientia.

Ex ira cognoscitur, quae et qualis sit patientia, nam ubi patientia, ibi non est ira: Ira enim quatenus cum igne et flamma, patientia potest comparari cum quodam frigore; ira quatenus cum duritie, (:etenim elementa sicuti aenea ab igne indurescunt:), comparari potest patientia cum mollitie; et quatenus ira cum summo activitatis gradu, patientia cum passivitate, unde nomen suum est sortita: ita patientia est status mentis tranquillus et serenus, scilicet absque tempestate et turba affectionum animi.

Inscribitur etiam patientia sicuti ira corpori; mite quid et patiens elucet a vultu, ab ipso sono loquelae, et qualis est in mente a sermone; facies est serena, ridens etiam dum excandescunt alii, sanguis est mollior, sanior, tepens non ardens, calore vitali plenus, non concretus in fibras; pulsus lenior et constantior, bilis non atra sed flaventior, arteriae cedentiores, fibrae molliculae, organa integriora, et mentis suae arbitriis obsequendi paratiora, inque omnibus si non decor, usque gratia.

Verbo, singula pars corporis patiens est; nam qualis est mens et qualis animus, talis est status singularissimarum partium universi corporis, hoc enim ad imaginem et naturam suae animae est conformatum; sin aliter, est signum mutatae per varios casus mentis.

Patientia quatenus est status mentis tranquillus et serenus absque turba affectionum animi, est ipse status mentis perfectissimus; mens in hoc statu est sibi relicta, vacat suis operationibus, et penitius rationes suas intuetur, ac sincerius sua judicia format, exque illis veriora, meliora et convenientiora eligit, inque voluntatem suam remittit, quae tunc desideriorum naturalium turba non obsidetur, sic libertate fere integra potita, animum sibi subjectum quasi in vinculis tenet, nec ultra limites sui arbitrii illum exspatiari sinit, ita etiam sui corporis actionibus imperat, ac purius intelligentiusque ejus sensationes recipit contemplaturque. Quum mens ita sibi relicta est, nec otia ejus interturbant corporea et mundana, seu aestus inde oriundi, tunc intimum quasi consortium cum suo intellectorio puro seu anima jungit, et patitur ut veritates naturales ac spirituales influant; sunt enim solae affectiones corporeae et cupiditates animi quae intellectuales mentis ideas inumbrant aut pervertunt. Ex his sequitur, quod mens in patientiae et tranquillitatis suae statu constituta frigida sit respective ad calores animi et inde oriundos corporis, sed plenissima amore seu vita puriore et perfectiore, ut enim sit aliqua mens, intepescere debet aliquo amore, quo vero puriore, eo melior est mens quia melior vita: mens ex hoc statu respicit amores inferiores et pure corporeos tanquam ludos infantiles, ac insanias eo insaniores, quo creduntur sapientiores; ideo illis visis non excandescit et irascitur, sed miseretur, dolet, condonat, emendare studet, laetatur successu, illatas injurias patitur sicuti sibi mater ab infante, nam simili amore omnes amplectitur, dum odit vitia. Patientia haec licet sit absque ira, non est tamen absque Zelo, quo veritates defendit, sed cum moderatione. Mens ex tali igne nunquam turbatur, minus exstinguitur, sed reficitur, nam naturae ejus convenit: mens enim rationalis, quo magis ab ignibus impuris liberatur, eo magis igne puro ardet, qui mitis est, nec saevit, sed statum restaurat.

Talis patientia, quae sit moderatrix passionum animi, raro connascitur, cuivis enim est sua ad certos animi affectus inclinatio, sed aetate cum judicio crescit, imprimis autem exercitio perficitur, verum genuina, non absque veris religionis et pietatis principiis, ac violentia illata sui animi corporisque naturis: ipsa infortunia ut et morbi, qui fervores sanguinis spirituumque compescunt, hujus patientiae etiam solent esse causae.

Quid autem sit *impatientia*, ex descriptione patientiae potest hauriri, est scilicet mentis rationalis, quae desiderat fines, dum finis distinetur vel interpolatur ab oblatis impedimentis aut impossibilitatum ideis, quae totidem sunt resistentiae, ne voluntas in actum erumpat: inde torquetur animus qui cupit, et angit corpus, et mens singula momenta ut longas moras putat: idcirco quo ardentior animus, eo major impatientia, et quo mens tranquillior, eo minor; minima illis, qui Providentiae Divinae sua fata committunt.

Pudor.

In pudore contrahit se sensorium tam internum quam externum, ita etiam singulae fibrae et singulae arteriae, qualis enim est status sensorii, talis est fibrarum et consequenter arteriarum, ita spiritus per fibras nerveas in fibras motrices arteriarum, et sanguis ab arteriis majoribus in capillares expellitur, unde rubor et inflammatio faciei, oculorum demissio, occultatio, sensationum stupor, cessatio respirationis, et determinationum voluntatis, seu inactio; ipsum enim sensorium compressum se quasi non levare audet, sed se in se recipit, ut mens non solum se sibi sed etiam aliis occulat, nam est pudor sui, quatenus mens ipsa conscia est alicujus indecori, inhonesti aut criminis, ideo quando nullus conscit quam ipsa mens, raro pudet, nisi reflexive ad alium, quod etiam id consciat, ita absque commisso errore etiam mens pudore aliquo potest suffundi reflectendo super contingentia quod potuisset fieri, vel quod observatum sit, quod solus ipse noverit. Pudor tam fortibus quam timidis inest, in fortibus rubescit facies, in timidis pallescit, nam timor jacturae subit. Pudor etiam remittit musculos faciei, ut absque vi determinante quasi penduli sint.

Inter timorem et pudorem illa intercedit differentia, quod timor efficiat ut sensorium internum et externum cadat seminex et quasi exanimum ex se ipso, pudor vero, quod mens sponte sua et ex quadam quasi vi connata contrahat suum sensorium, eique demat facultatem status suos mutandi, quare illo momento, antequam se recolligit, cessat omnis determinatio voluntatis, et subit oblivio singularium.

Pudor eo major est, quo mens sincerior, ac honesti amantior; tunc enim contra regulas honesti timet peccare, similiter contra regulas decori, quod ut honestum credit, sunt enim qui non bene discernunt decorum ab honesto, ideo pudore utriusque afficiuntur; sed quatenus honestum se per decorum declarat, decorum enim est externum honesti, ideo utriusque leges observandi soliciti sumus. Major est pudor, in praesentia superiorum quam parium, nulla in praesentia inferiorum, nisi mens honesti amantior: major etiam est pudor in praesentia illorum quos amamus et simul veneramur, at vero quando amor sit mutuus, et loco venerationis succedit purus amor, est tanquam alter ipse, non alius est pudor, quam est pro se solo; sublimis est mens quem sui pudet etiam in nullius praesentia, indicium quod veneratione erga veritatem ipsam, erga honestatem, justitiam, caeterasque virtutes intime ducatur, et illas tanquam se superiores suspiciat.

Nullus vel paucus datur pudor in illis, qui ipsam virtutem spernunt aversanturque, quique nullum se superiorem aestimant, similiter etiam stupidi et ingenii crassi; quare infimi homines sunt, absque conscientia, et amore honesti, qui nullo pudore afficiuntur, sceleratissima mente gaudent, qui in actu criminum, quorum commissorum committendorumque sibi conscii sunt, erectis et levatis oculis stant, aut in quibus ne hilum mentis elucet.

Sed quia principia de honesto et decoro admodum variantur, pudores solent admodum differre, cujus pudore unus, non afficitur alter, ita pudores suas vices agunt. Afficimur etiam pudore aliorum cum quibus nulla intercedit consuetudo, quod fit per reflexionem ejus in se, ita a quadam cognatione amica cum omnibus in genere fluit.

Invidia.

Invidia est odium cum ira mixtum, sed ira latet tanquam ignis sub favilla, quare est intimus aestus singula consumens, quae cum erumpit, insanum agit; inde sanguis suffusus et gravidus est bile, crassus, ramentosus, coloris obscuri, in minimis poris stagnans, unde livor in facie; ignis iste etiam consumit et torret, unde macies: cystis fellea atra bile jugi confercitur, quia continua est scaturigo novae, quae sanguini insinuatur: in vultu etiam atrum quid, ac odium mixtum irae subocculitur, nec elucet sicuti laetitia: in loquela et sermone etiam aculeatum quid cognoscitur. Animus est semper obscurus, et mens tristis, raro levatur et exhilaratur, nam nullius fere harmoniae dulcedine afficitur; ipse status ejus mentis est disharmonicus, quare disharmonias ut harmonias amat; proinde sunt ipsa infortunia, paupertates et miseriae aliorum, quae indulgent et mulcent: nec laetatur a propria fortuna ac felicitate, nisi quod in ipsa illa aliquid vindictae lateat.

Invidia particularis est omnibus communis et summe naturalis, nam deprehenditur in tenellulis infantibus, et animantibus brutis eorumque catulis; scilicet quod invideamus alteri quod ipsi amamus; ut amator sponsam, et competitor honorem rivalis; sic etiam in caeteris, nec ultra illos fines, quos amamus et desideramus, se extendit.

Invidia vero generalis ex supremo amore sui scaturit, invidet enim omnibus omnia, et singulis singula, universum ut suum, et pro se, seu se universum, non partem imaginatur; etiam aliis invidet coelum, Diabolus potentiam ipsi Deo; sic hostis est omnium in corde. Qui vero sui non amans est, sed generosus, non est invidus. Caetera hauriri possunt ex descriptione odii et irae, si conferantur.

Vindicta.

Vindicta ex odio et invidia profluit; odium quidem est contrarium amori, sed non est privatio amoris et sic vitae, sed est amor contrarius, et cumprimis amor mali; datur enim amor boni et amor mali; unus est contrarius alteri, proinde unus

odit alterum; sic odio etiam inest vita, et si vita, etiam eidem inest calor et ignis, sed calor et ignis crassior, impurior, proinde materialis et corporeus, inest animo, non ita menti, nisi mens consociata sit animo corporis; hic calor odii vocatur cupido vindictae, sique accedit ira, qualis est invidiae, tunc fit ignis, et vindicta; est itaque vindictae cupido ipsa ignis, activum, aut summus activitatis gradus odii, seu amoris mali.

Sicuti invidia est particularis et generalis, ita etiam vindicta, seu ejus cupido; invidia particularis est omnibus naturalis, ita etiam cupido vindictae, sic innata tenerrimis infantibus ante usum rationis, et singulis bestiis, quibus etiam arma a natura subministrata sunt, ut injurias sibi illatas vindicent. Et quia vindicta est naturalis, etiam grata est naturaliter, nam mentem tristem et animum nubilum serenat, restituitque statum, reducitque in suum naturalem, dissipatur enim tunc odium, et exstinguitur invidia. Ipsa gratia vindictae est in simili gradu in quo fuit odium et invidia particularis: sed cupido vindictae est plerumque tristis nisi mens possibilitatem obtinendi finem videat, at in quibusdam ipsa cupido exhilarat animum.

Cupido vindictae generalis est similis ac invidia generalis, nam ex eodem fonte scaturit, et sic utrique similia attributa conveniunt, haec cum ambitione spuria semper est conjuncta, seu cum amore sui; cupido vindictae nusquam est conjuncta cum ambitione vera seu cum amore boni et universali, nisi propter exstirpationem mali; zelus enim et justus dolor parit vindictam, sed usque in cupidine atque in vindicta remanet amor, destruere enim vult malum, ut post destructionem reviviscat bonum: talis est vindicta divina, sed quo major amor, eo major vindicandi malum cupido, amor enim suadet ut sui sit similis, et secum in nexu, quicquid itaque disjungit, quin potiatur optato, odit et devorat, idque annihilare discupit, quod persaepe cum anxietate, et dolore et infelicitate subjecti est conjunctum.

Misanthropia; amor solitudinis.

Misanthropia proprie est odium generis humani, vel profluit ab universali tali odio, raro ab invidia, seu ab odio cum

ira mixto, quia haec spirat vindictam, quae vitam sociabilem ponit; conjuncta est misanthropia cum contemptu vel privatione sensibilitatis voluptatum corporis aut cupiditatum animi: dantur misanthropi, qui non apparent misanthropi, quia animo gaudent voluptatum cupido, cui non nisi in consortio et vita civili seu per sociabilitatem indulgere queunt; vel etiam qui aestimatione famae ducti, tales apparere nolunt; at cessante cupiditate et cessante amore famae misanthropi fiunt: sunt plerumque sui amantissimi: est hoc vitium ut plurimum naturale, ac ingeneratum, exoritur etiam quandoque ex infelici successu summi alicujus amoris, et sic ex desperatione, nam summus amor persuadet quod unicum sit, et in universo totum quod amat, quo amisso se omnia perdidisse credit. Misanthropus in societate civium ut nullus aut abjectus consideratur, talis etiam considerandus est, quia odio separatur ab omnibus, usque aestimabilior si se separat ipse, quam si intersit, quando enim interest societati, caeteris nocet; jam vero solus sibi ipsi.

Misanthropiae speciales et particulares dantur, qui scilicet vel odio habent vel aversantur, specialem aliquam gentem, vel nationem, familiam certasque personas; si ex odio, ex causis odii venit, si ex aversatione et quidem naturali, est antipathia, si ex acquisita, est ex dissimilitudine quadam praesumpta vel reali principiorum et amorum, haec etiam in antipathiam potest verti, quae remanet in ejus posteris.

Amor solitudinis creditur vulgo esse misanthropia, quia misanthropus amat esse solitarius, sed amor solitudinis ex aliis quamplurimis causis originem potest ducere, naturaliter ex melancholia, quando est morbus quandoque sanabilis, tunc enim phantasiis indulgere intime cupit, suas phantasias eo usque etiam extendit, ut singulis intersit cogitatione, non corpore. Solitarius etiam amat esse, qui studiis cumprimis theoreticis deditus est, a quibus ne mens abstrahatur, eligit solitudinem, eandemque amat quantum ipsa studia; ut enim mens sibi vacet, quasi separanda est ab iis quae animum corporisque sensationes, atque caeteros mentis amores excitant. Is etiam solitarius solet esse, qui omnia vanitatum plenissima credit, seque solum non vanum, seu vanitatum immunem reddere cupit, ideoque se a societate disjungit, ut solent quidam philosophi, quo-

rum principes omnia vel ridebant, vel omnia flebant. Solitarii studio non natura sunt, qui se Deo sacrificant, ne a mundanis illecebris abstrahantur, uti Eremitae, quorum illustriores sunt qui animi sui cupiditatibus et sic corpori vim et violentiam inferunt, atque ea mente id faciant, ut puriores et sanctiores evadant.

Crudelitas.

Crudelitas generalis est amor exstirpationis generis humani, summum delitium ab eorum anxietatibus, doloribus et cruciatibus captans, ex odio et misanthropia generali, et ex supremo gradu amoris sui profluit, solum enim se respicit ut universum, et quos juxta illum tanquam sibi obvios quod non solus esse possit; similiter ex supremo gradu amoris mundi, scilicet honorum, aque supremo gradu amoris bonorum telluris, id est, divitiarum, ita ex invidia generali: opponitur imprimis misericordiae: qualis itaque est crudelitas, apparet ex ipsa facie, ut si ex amore sui, vel amore mundi, vel ab amore bonorum telluris, et sic ex odio aut invidia in illos, qui possident, quod ipse solus possidere cupit; quae est ratio quod crudelitas saepe sub facie admodum honesta lateat, at si exercetur, transire solet in vultum odii et vindictae, atque in maniam desinere.

Cuivis vindictae inest crudelitas, nam vindictae cupidus amat illum animo et corpore cruciatum, quem odit; et quidem secundum gradum odii. At vero vindicta quae oritur a zelo et justo dolore, amat cruciatum quatenus est medium exstirpandi malum, remanente usque amore erga personam. Similis est crudelitas si fluat ex odio proprio vel ex odio alius quem amat ut seipsum, ascendit secundum gradum amoris: qui suos hostes interficit, non est crudelis, sed qui in victos et laedendi impotes saevit, is est crudelis. Ideo qualis vindicta, talis crudelitas, quale odium talis vindicta, et qualis ira et qualis zelus in vindicta, talis voluptas vindictae.

Est quaedam correspondentia inter amorem venereum et crudelitatem, seu inter amorem propagandi, et amorem exstirpandi genus humanum, contraria in se sunt, sed in phaenomenis effectuum concurrunt, uti solent contraria quae in uno ter-

tio quasi concentrantur, alias non illorum relationis circulus dari potuisset: uterque ille amor titillat organa sensorii, fibras, membra generationis, genituram producit, uti ex historia physica notum est. Exinde apparet quod affectio crudelitatis sit tam delitiosa mentibus perversis ac est amor venereus mentibus integris; unus enim non exstinguit alterum, sed excitat: talis foret Diabolus forma humana indutus.

Clementia.

Clementia est virtutum regina et quasi numen; quare clemens esse, non solum est regium, sed etiam divinum, seu rex per clementiam aemulatur Deum; est enim vera clementia absque odio, amore sui, absque invidia, vindicta, ira, crudelitate, seu absque aliqua affectione naturaliter ingrata; cum amore erga illos, in quos clemens est, semper conjuncta, sic cum tranquillitate animi, felicitate mentis, et cum misericordia unita; amor semper clemens: ex ipsa clementia cognoscitur qualis sit, et in quos sit amor; si amor sit veritatis, est clementia cum justitia copulata, similiter si amor sit honesti et virtutum, imprimis si amor sit pietatis et veneratio numinis. At vero si amor sit vitiorum, falsitatum, vanitatum, impietatis, exercetur clementia contra illos, quorum amore mutuo afficitur, haec clementia est spuria et injusta. Clementia est plerumque naturalis sicuti patientia, qui enim clemens est, non potest crudelis esse, ita clementia opponitur crudelitati, ex cujus descriptione apparet clementiae character. Sed clementia datur quoque acquisita, quando crudelitas est timori conjuncta, sed latet anguis in herba: est quoque clementia spuria et legitima, sic vitium et virtus.

Intemperantia, Luxuria.

Intemperantia [in] genere significat omnem excessum desideriorum mentis, cupiditatum animi, delitiarum et voluptatum corporis, mundi et bonorum telluris; intemperantia vero in specie excessum edendi bibendique; quod dicitur genio suo indulgere, Baccho et Cereri litare, et ventrem curare. Quilibet

amor, et quaelibet voluptas est propter finem, ut vivamus sani in corpore sano, ideo omnibus abundat tellus, ut iis tanquam mediis non ut finibus fruamur; quando respicimus singulos amores et singulas voluptates ut media, tunc singulis fruimur temperanter, inque ea ratione, ut finem obtineamus; at vero quando ista respicimus ut fines non autem ut media, tunc in excessum labimur, et quidem quo ardentius amamus finem; ita intemperantia denotat statum mentis perversum, et admodum limitatum et materialem, quae scilicet fines intra angustos limites claudit; mens vero sublimior penetrat, quod unum sit propter aliud, et quod catena sit mediorum ad finem aliquem universalissimum, talis catena est universum creatum, est mundus seu societas terrestris, et sumus nosmet ipsi; nihil in universo nostro corpore datur, quod non sit medium ad aliquem finem superiorem, ultimus finis est anima, propter quam est corpus, anima quae est finis amorum corporis, non est finis universalissimus, sed finis intermedius ad universaliorem, nec desinimus nisi ipso numine universi, qui est finis et principium omnium. Ergo quum nihil non sit finis intermedius, sequitur quod intemperantia dari queat in omnibus mediis, quae pro fine assumuntur; omnia enim media in se sunt fines quia termini distincti, sed sunt fines seu termini intermedii. Ergo omnes intemperantiae species recensere, earum causam, naturam et effectum describere, foret iterum omnes affectiones mentis, animi et corporis resumere; quisque ex descriptione affectionum judicare potest de earum defectu et excessu. Id solum, quod omnis intemperantia sit contra naturam, et quod vim naturae inferat, nostramque vel mentem, vel animum vel corpus destruat; ita quando a voluntate, et voluntas a desiderio, desideria ab amoribus non ut mediis sed ut finibus reguntur, in totidem destructionum causas ruimus, unde mors corporis. Ipsae vero virtutes, honesta, perfectiones, felicitates spirituales nusquam possunt intemperanter desiderari et amari, nam in corpore ad ipsam perfectionem nusquam possumus eniti, sed infinita semper supersunt; intemperantia vero spiritualis est desiderare perfectionem natura sua perfectiorem, ut si mens qualis est anima, anima qualis est Deus, sed solum ut sit in suo gradu perfectissima, et sic imago, typus et simulachrum superiorum: forma

inferior nusquam elevari potest ad perfectionem formae superioris, nisi per praeviam dissolutionem, et sui mortem. Ergo semper intra temperantiae limites subsistimus, quamdiu, licet apparenter immodice, desideramus statum perfectiorem; ita si mens intelligentiam et sapientiam. Ideo intemperantia est semper vitium, non autem virtus.

Temperantia, parcimonia, frugalitas.

Ex descriptione intemperantiae discimus quid sit temperantia, est scilicet mediocris usus delitiarum et voluptatum corporis, ut sint correspondentia et proportionata media ad fines; ita intemperantia proprie significat excessum, sed involvit etiam defectum, defectus enim unius non datur nisi respective ad excessum in re altera, ut defectus nutriendi corpus indicat excessum parcendi sumtibus, et praeterea est excessus avaritiae vel abstinentiae, quae similiter corpori nocet: ipsa ergo mediocritas omnium est temperantia; sed aliis semper nominibus significatur respective ad objecta, uti temperantia denotat mediocritatem edendi bibendique. Parcimonia dispensandi opes et bona telluris; frugalitas respicit oeconomiam domesticam. Ita etiam in caeteris: Interim quia temperantia est mediocritas naturalis, illa se habet secundum cujusvis naturam, quare temperantia unius est quandoque intemperantia alterius; et sic porro. Ergo omnium affectionum tam mentis, quam animi et corporis, de quibus jam egimus, mensura et libra est temperantia, quae est omnium conservatrix, ut sana sit mens in sano corpore. In summa, *explores ut intelligas quid verum et quid bonum, et respice omnia ut fines medios, quibus pervenias ad ultimum, continuo sciscitando, ob quem finem.*

De animo et de mente rationali.

Nihil difficilius est in psychologiae rationalis scientia, quam clare intelligere, et tametsi intelligitur, quam clare exponere, quid proprie animus et quid proprie mens, singula enim quae in sensoriis nostris internis aguntur, apparent tanquam parvulum chaos, cujus ne quidem superficiem distincte videmus, mi-

nus ejus partes, quarum una alteri tanquam in catena cohaerent; comparari aliquatenus potest cum animalculo quod vix acie microscopii pertingimus, ex cujus solo motu intelligimus, quod sit aliquid vivum, nec dubitamus quin viscerula ejus distinctissime aucta et separata sint, et quodam cerebro, medulla spinali, pulmone, ventriculo, intestinis, musculis, organis sensoriis gaudet, id enim in animalculis similibus detexit oculus ope artis opticae, at ubi visus vix superficiem lambit, divinare interiora et occultiora difficillimum est; tale etiam est sensorium nostrum internum. Per reflexionem explorare possumus, quod percipiamus, intelligamus, cogitemus, eligamus, desideremus, velimus, determinemur in actum, et quod phalanges sint amorum, cupiditatum, desideriorum, voluptatum, finium; omnia haec quum unius sensorii sint, et appareant tanquam continua et unita, sequitur quod difficillimum sit singula distincte evolvere, et intellectus nostri ideas alius intellectui distincte exponere; quis enim artem pictoris et gratiam imaginis in umbra potest videre, et quis rite percipiet, si etiam ipse pictor in umbra verbis singula exprimat; ideo solis et luminis ortus expectandus est, ut singula tanquam ad vivum patescant.

Haec etiam est ratio quod ignoremus quid proprie animus sit, et quid proprie mens: ab antiquis non philosophis creditus est animus esse idem cum nostra anima, quare etiam animum immortalem dixerunt; Philosophi vero inter animum et mentem distinxerunt, et animum quendam superiorem, quam mentem appellaverant, agnoverunt; aliqui etiam mentionem faciunt mentis alicujus superioris et purioris etiam in nobis, sed ut evestigemus, quid unum sit et quid alterum, quae distinctio et quae conjunctio, debemus ipsi per indefessam quandam reflexionem et intuitionem intellectualem inire singulas operationes, et quidem ordine unam post alteram, et dein post exantlatum laborem saepius iterum revolvere partes, et sic perspicere, qua catena cohaereant; mens enim nostra non aliter se habet ac ipsa forma corporis interna, quae se ipsam non nisi quam per operationes revelat qualis sit, nisi anatomice unam partem post alteram nudemus, lustremus et penitus inspiciamus; talis etiam anatomia mentis requiritur, ita ex nobismet ipsis instruendi sumus quales sumus, et mens mente investiganda

est; ipsa enim tam scientifice ex se agit, ut omnes scientiae philosophicae vix nisi exiguam partem cognitionis ejus decerpserint; sed haec missa faciamus, et inquiramus quid animus sit et quid mens.

Quod animus non sit anima, et quod non sit idem ac mens rationalis, id luce clarius est, animo enim omnes istae affectiones et cupiditates adscribuntur, quae pure animales sunt, ut ira, amor venereus, invidia et caeterae, quae non solum propriae sunt generi humano, sed etiam brutis animalibus; animus nusquam dicitur rationalis prout mens, omnes animi cupiditates nobiscum moriuntur, non enim post mortem remanet ira, venus, fastus, superbia, timor, vindicta, et plura similia, absque his non vivere potest animus, quia ex his constat; ita animus est pure animalis, et quasi mens inferior seu irrationalis, dum enim animus afficitur et cupit, non est ille qui cogitat, sed est infra illum animum, ut ita dicam, qui cogitat et rationalis vocatur; quare animi nostri cupiditates a mente quadam superiore seu rationali cohibendae sunt, et secundum judicii mentis arbitria moderandae; accedit quod anima et singula ejus affectio ipsi vultui, sono, voci, actioni, id est, corpori inscribatur, et simul omni rei influenti animus inscriptus sit; quare animus non remotior est a corpore quam ut ei insit, et se ostendat corporaliter, ut in ira, vindicta, fastu, odio, amore et caeteris; at vero quod cogitamus, non elucet ex facie, nisi cogitatio cum affectione animi sit conjuncta, praeter exiguam quasi scintillam in oculis, si simulare nequeunt; ex quibus liquido apparet, quod mens rationalis sit distinctissima ab animo, sed tamen ita conjuncta, ut mentem nostram rationalem appellare queamus animum superiorem, ac animum mentem inferiorem; sed caveamus, ne per similitudinem vocum ipsas ideas confundamus.

Sed quaeritur quid animus, si animum vocamus *mentem inferiorem*, non usque per talem denominationem intelligimus quid animus, nam ignotum est, quid mens, ideo notius esse nequit quid animus. Si animum definimus quod sit *principium mutationum in nostro corpore*, agnoscimus quidem quod principium sit, nihil enim non ex suo principio debet profluere, sed quid sit animus usque nescitur, infinita enim principia mutatio-

num dantur, sed quodlibet explicandum est quid sit, ut affirmetur vel negetur, quod animus sit tale principium vel non. Si animus describitur, *quod sit forma idearum materialium nostri sensorii communis*, explicandum est quid et qualis forma, quid ideae materiales, et quomodo earum forma possit concipi, denique quid sensorium commune cui forma idearum adscribitur. Si animus dicitur *affectio universalis sensorii, seu quod affectiones simul sumtae constituant animum*, quaeritur tamen quid est, ubi est, qualis est, nam animus, non autem affectio universalis dicitur affici; itaque quocunque mentem vertimus, usque illa de animo in qualitate aliqua occulta desinit: exinde resultat, quod credatur animus vel in aliqua crypta cerebri sicut regulus occuli, vel quod sit qualitas, quae sit absque subjecto, et quod qualitas possit esse aliquod tale principium, quale est mutationum corporis.

Sed ut intelligamus quid animus, omnino ipsum fontem adire debemus: indubium enim est quod cerebrum recipiat omnes sensus organorum externorum, prout tactum, gustum, olfactum, auditum, visum, nam a singulis illis organis abscedunt nervi, qui medullam oblongatam et ipsum cerebrum adeunt et ineunt; quod cerebrum recipiat alluentes sensus, id innumera phaenomena alia confirmant, obstructo enim cerebro, vel obstructo nervo qui cerebrum adit, perit illico omnis sensatio; ergo ex communi omnium consensu vocatur cerebrum Sensorium commune: id etiam constans est veritas, quod unusquisque nervus in fibras et fibrillas est divisus, et quod unaquaevis fibra suam originem habeat; si sequimur fibram usque ad suam originem, videmus manifeste quod illa terminetur in quodam capitulo aut parvo globulo, qui vocatur glandula corticalis, ipse visus microscopio instructus id etiam detexit; ergo quum sensationes quae pergunt ad cerebrum non subsistere possunt in media via, sed omnino ad suas origines seu principia enituntur, ergo in his principiis esse debet id quod sentit et recipit sensum. Haec principia tot sunt quot sunt fibrae, nam tanta est earum copia et luxuries, ut totum ambitum massae cerebri constituant et ejus quoque interiora occupent; ex his sequitur quod hae glandulae simul sumtae id in cerebro [sint,] quod sensorium commune appellatur. Hunc corticem seu hanc

substantiam si lustramus, appercipimus quod omnes ejus partes seu omnes glandulae simul in quandam formam dispositae sint, quae perfectissima est, et quam spiralem appellavimus, tum etiam quod eaedem glandulae discriminatae sint, ac inter se mutuo coordinatae, et sibi mutuo subordinatae, verbo quod glandulae hae, quae totidem sunt sensoriola particularium formam constituant. His jam praemissis videamus quid animus. Cerebrum hoc corticale seu sensorium commune recipit, ut dictum est, omnes sensationes externas, at sentit singula discrimina, quae organorum fibris et papillis impressa sunt, haec sensatio non dici potest animus, sed est nuda perceptio sensationum, seu modorum cum suis differentiis et discriminibus, sic est sensorium commune quod sentit et percipit, non autem animus. Ast vero unaquaevis sensatio simplex aut composita est quaedam forma, constans scilicet ex discriminibus exiguissimorum tactuum et virium, talis est sensatio gustus, talis olfactus, talis auditus, cujus formae distincte percipiuntur tam in cantu quam in singula voce, quae ideo dicitur sonus articulatus; talis etiam est sensatio visus, nam unumquodvis objectum vel unaquaevis imago est formata ex differentiis umbrae et lucis, cumprimis imago composita seu totum objectum; haec forma dum ad sensorium commune seu cerebrum corticale appellit, non percipitur nude tanquam sensatio, id est, quod sit dulce, amarum, jucundum, pulchrum, harmonicum aut disharmonicum; sed etiam exhilarat et laetificat cerebrum, animum contristat, prorsus secundum ipsius formae qualitatem, perfectionem et imperfectionem; hoc vocatur cerebri animus, qui dicitur affici; sic animus est indivulsus a sensorio communi, et quatenus est sensorium quod afficitur, est id ipsum respective ad affectionem, animus; ita distinctum est perceptio et distinctum affectio; utrumque tamen est cerebri.

Sic est sensorium commune quod afficitur grate vel ingrate, jucunde vel injucunde, unde sensus, inde laetitia, tristitia aut alia quaedam passio quae animo soli adscribitur; proprie est ipsa laetitia aut tristitia quae profluit a gratia illa seu harmonia vel disharmonia modorum in iis quae sentiuntur et percipiuntur, quae vocatur affectio animi externa, sed datur etiam interna. *Est etiam animus principium omnium mutationum sui*

corporis, ipsa enim affectio sensorii seu singulae substantiae corticalis transfunditur in continentes fibras, et per eas in universum corpus, quod solum ex fibris est conformatum: ita adscribitur animo passio id est affectio, ut et actio id est principium actionum.

Sed quia non unius animus est similis animo alterius, sed quo unus afficitur grate, eodem alter afficitur ingrate, ab eadem harmonia soni, aut forma visus, unus laetatur, alter vero contristatur, sequitur quod alius status sit unius sensorii quam alterius, qualis enim status sensorii, talis etiam est affectio; operatio enim eadem in bina subjecta dissimilia variatur secundum statum recipientis, seu ejus qui afficitur; et quia animus laetificatur, contristatur, cupit, irascitur, invadit, et sic ei vita inest, necessum est ut insit sensorio communi, et singulis sensoriolis id quod vivit; hinc inquirendum est, unde animus hanc suam essentiam et suam vitam trahat.

Ut adhuc clarius intelligatur quid animus, per exempla loquamur, quod saporiferum est in gustu, id in sensorio communi appercipitur vel tanquam dulce, vel amarum vel acidum, sed perceptio haec non ultra vadit, ipsa jucunditas etiam inest eidem sensui, tanquam gustus quidam communis, at vero appetitus inde excitatur, et quidem ad ea quae corporis statui conveniunt, ut in brutis quae ex solo gustu appetunt naturae suae convenientia, id est animi: similiter in sensatione olfactus: in sonis auditus adhuc evidentius, modulamina cantus et singulae differentiae sonorum appercipiuntur [a] sensorio communi, similiter etiam ipsa harmonia et gratia, cujus est quasi sensatio communis, sed inde oriunda hilaritudo, laetitia, et affectio cujusdam amoris est animi: similiter in objectis visus, vireta ridentia horti cum singulis floribus, rosis et arbustis percipiuntur [ab] oculo et sensorio communi, simul etiam pulchritudo ex graminum ordinata dispositione resultans, sed inde oriunda laetificatio intima, ex formositate visa amor, ex hoste vindicta, timor, ira, ex miseris misericordia est animi, qui in varias inde affectiones, et ab his in cupiditates, quae communicantur corpori, abripitur: ex his videmus quam difficile sit distincte percipere quid animus, et quid perceptio, sunt enim unicuique quasi distinctae naturae, perceptionis differentiae sunt totidem ac quot appa-

rent in sensationibus, quae innumerae sunt. Animi vero sunt totidem ac sunt affectiones, quarum unaquaevis suas differentias speciales et particulares fert; ex ipsa comparatione intelligitur, quod animo insit vita quaedam, quae sensationum perceptioni seu sensorio communicatur, sine qua nullae sensationes forent, ideo est *animus vita sensationum.*

Sed vivit animus non ex se, sed ex ipsa anima quae sola vivit, et per quam omnia reliqua in corpore vivunt, sed animus non eodem modo ac anima vivere potest, nam ille ab hac longe distat, et inest formae imperfectiori, et compositae, quae est sensorii communis, ex cujus forma animus id trahit, quod appellatur forma: quam ob rationem inquirendum est, quid sit mens, quae forma formarum, et animus superior vocatur.

Aeque difficile est intelligere quid mens sit, tametsi nihil familiarius sit in loquela communi, et quia vox ista adaequate semper inseritur loquelae, indicium est, quod mens nostra rationalis exacte sciat quid sit, sed quod nos ipsi nesciamus, sed illam debeamus inquirere, tanquam anatomicum quid inest cordi et arteriis quando ex pulsu noscit quod aliquid sit, ex quo pulsus: si non definiatur per *formam formarum*, adhuc minus comprehendimus, quam si diceremus quod mens sit mens, seu quod sit aliquid quod per formam exprimendum sit, qua exprimimus qualitatem mente occultiorem. Si vero dicimus quod mens sit *principium omnium mutationum sui animi*, explicandum est principium, quid sit, ubinam, et quale, principium enim est vox generalis, tanquam vis et causa, quod unicuivis rei dici potest inesse. Si mens dicatur esse *fons affectionum rationalium, resultans ex harmoniis idearum intellectualium seu immaterialium, sicuti animus ab ideis non immaterialibus*, aliquid videtur exprimi, quo ad cognitionem mentis propius acceditur, sed ut percipiatur, inquirendus est ipse fons, ex suis rivis, et rivi ex suis derivatis, quae vel coram sensibus ut effectus se praesentant, vel cum sensibilibus quandam analogiam habent.

Ut ergo exploremus quid sit mens vel animus superior, eodem modo procedendum est, ac supra in exploratione de animo, ipsa illa substantia organica, aut sensorium internum indagandum est, ubi mens quasi residet, nam quod mens in cerebro sit, id extra dubii aleam est, status enim mentis est status

cerebri, ita uniti sunt, ut similiter ac unus etiam alter laedatur, languescat, et quasi moriturus videatur. Memoratum est, quod sensus organorum externorum per continentes fibras usque ad principia sua seu ad glandulas corticales emicent, et quod in illis omnino residere debeat principium quod sensibus inest. Haec glandula supra saepe demonstrata est esse cerebrum in minima effigie, et ei inesse similem aut analogam substantiam medullarem et corticalem, qualis in communi cerebro conspicitur; quodlibet tale corpusculum ideo vocavimus sensorium internum, et observavimus quod haec sensoriola simul sumta constituant sensorium commune; si itaque cuivis tali sensoriolo inest similis analoga substantia corticalis, sequitur quod illa substantia simul sumta sit ipsum sensorium particulare seu internum, et quod unaquaevis minima ejus pars corticalis sit intellectorium, cui scilicet intellectus purus inest, de quo infra. Ex hac idea, per solam comparationem et analogiam intelligi potest quid et qualis sit animus superior seu mens, sed instituamus ipsam analogiam comparativam.

Sensationes cumprimis visus comparentur cum ideis imaginationis seu cogitationis, nam sibi mutuo correspondent, et per cultum transeunt imagines in similes ideas; ita loco imaginum visus substituantur ideae intellectuales, et cum his procedamus eodem modo, quo supra cum sensationibus, a quibus animi originem investigavimus, sic ipsam mentem similiter inveniemus: ipsi sensorio interno impressae sunt ideae totidem quasi imagines immateriales, ut ita crasse loqui liceat, quot sunt memoriae, seu imaginationis, quae per mutationes status sensorii formantur et depromuntur; hae ideae immateriales seu rationales percipiuntur in intellectorio puro seu in cortice illo simplicissimo aut simplici, simili modo ac imagines visus in sensorio communi seu externo; ipsae itaque ideae tunc sunt tanquam totidem sensationes internae cum suis differentiis, illae ideae sic intellectae constituunt mentem, sed solum intellectum seu cogitationem. At vero ipsa affectio bona et amabilis, quae resultat ex harmonia istarum idearum seu ex cogitatione est id quod dicitur a mente profluere, consequenter est mens quae afficitur, et est mens ipsa vita quae inest animo, proinde principium hujus mutationum.

Sed adhuc ignoratur quid mens sit, quum enim dicitur esse vita et principium, rationaliter concipitur tanquam sit qualitas quaedam, ex forma sui intellectorii affecti fluens; et sic nulla absque substantia sua organica; sed non debemus heic subsistere, ulterius pergamus: intellectorium hoc seu purissima substantia corticalis sensorii interni, ex se neutiquam potest existere et subsistere, constare debet ex substantiis adhuc simplicioribus, id est, ex simplicissimis sui regni, hae simplicissimae substantiae sunt quas animam appellamus, cui vita inest, et quae est ipsa mens sui intellectorii, et consequenter vita ipsius animi, quae tamen tam intime latet, vel tam alte residet, ut aliquot gradibus perfectionis distet ab animo. Ipsam hanc mentem intelligimus quid sit et qualis sit, seu qualis forma, et quale principium ex ipsa animae descriptione.

Sunt itaque mens superior et mens inferior, seu mens proprie dicta, quae regnant in corpore animato, et quae suas operationes inter se mutuo communicant. Ipsa mens proprie dicta est spiritualis, at vero animus est pure naturalis, et dici potest corporeus, quatenus a sensuum corporis harmoniis immediate afficitur, et in corporis vultus et actionum formas immediate influit; haec jam est ratio quod antiquorum nonnulli animum dixerint immortalem, quatenus per illum intellexerunt mentem, uti videri potest ab eorum interpretatione.

Ut ergo jam mens proprie dicta se communicet cum animo, et per animum cum corpore, intercedit quaedam mens quae rationalis vocatur, quae est nostri propria, quaeque afficitur, desiderat, vult, et tandem sua desiderata in actum determinat; quam plurimi crediderunt, quod haec mens rationalis sit mens illa superior et quidem suprema, quae in nobis vivit, ipsamque illam cum cogitatione confundere visi sunt; sed quod aliter se res habeat, ex singulis istis, de quibus actum est, et de quibus agendum, liquido apparet; ipsa enim mens rationalis non suam essentiam et vitam a se trahere potest, nam per cultum, scientias et artem comparatur, et successu temporis talis fit, ut plus in se possideat, quam omnes in universo scientiae usquam queant exhaurire, haec non haurit ex cultu et experientia, nec potest ex se ipsa, erit omnino mens superior, quae influet, quae pura sit et quae spiritualis, et in se omnem illam naturam pos-

sideat, quam ipsi ut superiorem in ista mente admiramur, et ex qua aliquot modo guttas depromimus, ut scientias nostras theoreticas, et physiologicas concipiamus et excludamus.

Sed haec mens, quae vocatur rationalis, non proprie est mens, illa enim media est inter mentem et animum, deque utroque participat, et sic ab utroque nata; influit enim in illam a superiore mens spiritualis, et ab inferiore mens naturalis seu animus; quae est ratio quod dicatur rationalis, nam ut rationale sit, participare debet a spirituali et a naturali; quo ita plus communicat cum mente spirituali, eo mens ista eminentius rationalis seu magis spiritualis est, quo autem plus ab animo seu mente naturali, eo minus rationalis, seu magis corporea est: concurrit itaque mens superior et animus, et in sensorio interno conjuncti hanc communem prolem excludunt. Id etiam a singulis affectionibus apparet, nam dum mens rationalis excitatur ab animo sicuti ab ira, vindicta, amore illicito, aliisque affectionibus, tunc non statim in partem descendit, sed a superiore et puriore quadam mente distrahitur, et sic ab animo abducitur, ut contraria vel imperet vel assensu faveat: haec deliberatio et ponderatio nequaquam existere potest, nisi ipsa sit in medio constitutâ, et inter binos amores, qui quandoque dissuadent: est itaque mens haec rationalis tanquam trutina alicujus bilancis, quae vertitur quo pondera majora trahunt. Huic menti adscribitur intellectus, cogitatio scilicet, judicatio, electio et voluntas; sed intellectus non aliter adscribi potest menti, quam perceptio sensationum animo; scilicet quod mens ista sit ipsa vita intellectus, seu quod cogitatio nequeat existere et subsistere absque sua mente, id est, absque amoribus et desideriis, quae intellectum ejus non modo excitant sed vivificant. *Est itaque mens vita cogitationum, uti animus est vita sensationum.*

De formatione et affectionibus mentis rationalis.

Actum est de affectionibus animi, agendum etiam foret de affectionibus seu amoribus mentis purae seu superioris, antequam liceat agere de affectionibus mentis rationalis, quae me-

dia est inter utramque, et quasi centrum influxuum; sed jam de supremae mentis amoribus agere, id foret ab imis immediate ad suprema volare, et quidem a sensibilibus ad ea quae sub captum et intellectum non cadunt, quaeque adaequatis terminis se describi non patiuntur, at vero quae in mente rationali contingunt, ea sub intellectum cadunt, quia sunt nostra, quae quoque nequaquam sub intellectum potuissent cadere, nisi foret intellectus purior aut mens sublimior quae influeret, et ex qua potuissemus intueri illa quae in mente rationali sunt, tanquam inferiora.

Sed quia supra dictum est, quod mens rationalis sit media inter mentem puram seu animae et mentem impuram, inferiorem seu corporis, id est, animum, videtur sequi, quod mens rationalis nullam affectionem propriam seu ex se possideat, quod enim est centrum influxuum, seu in quo concentrantur duae essentiae, non potest dici esse aliud, quam communis essentia duarum, seu una natura ex binis composita; id etiam verissimum est, sed hoc compositum, seu hoc mixtum est essentia per se, cujus natura secundum miscelam ab utraque differt, num autem et qua ratione propria possit vocari, id in sequentibus videbimus, rem tamen praelibare debemus.

Id satis ab experientia et reflexione perspicuum est, quod mens nostra rationalis desideret, seu desideriis gaudeat, desideria nusquam dari queunt absque affectionibus seu amoribus, quod enim desideramus id amamus, et quod amamus secundum gradum amoris desideramus, haec desideria in mente rationali vocantur cupiditates in animo, quae non dari queunt absque affectionibus seu amoribus corporeis: id etiam perspicuum est, quod eligere queamus id quod optimum est, et rejicere malum, seu quod mens nostra rationalis libere queat arbitrari et arbitrio convenienter agere; si ipsi amores non proprii essent mentis rationalis, sed solum aliunde influerent, et mentem hanc ad arbitrandum [et] agendum cogerent, tunc nihil proprium, proinde nec quicquam liberum de mente praedicari potuisset; sed ipsum hoc liberum arbitrium demonstrat, quod mens rationalis sit media inter binos amores qui influunt, atque illa sit arbitra eligendi quod optimum est. Id etiam perspicuum est quod nulla foret voluntas, nisi aliquae affectiones menti

propriae essent, quarum unam potius vellet quam alteram, sed foret vel cupiditas vel instinctus loco voluntatis, sicut in animalibus brutis. Id enim omne est cupiditas quod ab animo, et id omne instinctus, quod a mente superiore profluit.

Haec indicant clare, quod amores isti qui insinuantur menti rationali ita uniantur, ut sint distincti quoad essentiam et naturam ab amoribus mentis superioris et animi, et sic quod propriam quandam quasi separatam mentem constituant, sed usque talem, quae uti ab utraque existit, per utramque subsistat, et ab utraque dépendeat, non quidem ex aequo, sed prout ad unam magis quam ad alteram se flectit et inclinat. Id etiam ut argumentum praememoratis adjici potest, quod nusquam quiremus alicujus culpae aut criminis reprehendi, si nullus amor in mente existens foret proprius seu ipsissimus noster; nihil enim tanquam nostrum et proprie ad nos pertinens agnoscimus, quam quod in mente nostra rationali existit, mens enim ista est ipsissimum meum, caetera omnia mea sunt, quatenus mens ista suum vocat, nec considerat aliter ac sua instrumenta, per quae esse possit qualis est, et agere possit qualiter vult; quae etiam est ratio, quod unumquemvis talem esse [dicimus] qualis est secundum statum ejus mentis, hebetem et stupidum, et mentis impotem vix appellamus hominem, intelligentissimum vero et sapientem verum hominem et divinum, ita omnium proprium esse debet mentis, quicquid ei inest.

Sed rem altius intueamur, et explorare satagamus, quid vere proprium mentis rationalis, et quid non vere proprium sit, quod enim pertinet ad mentem eique inest, hoc dicitur ejus proprium, sed tamen non ideo vere proprium, siculi visus in oculo, qui vere proprius est sensorii interni, hoc enim videt absque oculis, at oculus non absque sensorio interno; stricte loquendo, nihil video proprium in toto hoc sensorio interno seu intellectorio humano, quam quod mens ejus se possit flectere seu vertere ad mentem superiorem seu animae, ejusque amores admittere ut influant, seu recipere, sed quo modo alibi dicendum est, vel ad mentem inferiorem seu corporis id est animi ejusque amores admittere ut influant vel recipere, caetera omnia quaecunque insunt, non sunt propria aliter quam quod ex hac directione fluant, est enim mens rationalis tanquam trutina,

quae bilancem regit; in humano corpore nihil datur nisi anima et corpus, seu nihil nisi spirituale et naturale, caetera quae intermedia sunt, ex utroque participant, et quatenus participant tanquam libra ex utroque dependent; ut ergo singula in suo aequilibrio teneantur, concessa est mens rationalis, quae sit moderatrix et rectrix, et sic in hoc puncto unice activa, in caeteris autem passiva.

Ut veritas communiter receptum est, quia communis experientia id unumquemvis docuit, quod quantum mens nostra rationalis admittit amores qui a corpore ejusque sanguine, seu a mundo per fores sensuum influunt, et illis se applicat, dedit subditque, tantum removeatur ab amoribus mentis superioris seu spiritualibus; et quantum se ab amoribus corporis et adblandimentis mundi removet, tantum admittat amores mentis superioris seu spiritualis; suffocatur quasi spirituale a naturali, et exterminatur naturale a spirituali; ita constat, quod sit homo internus, qui pugnat cum quodam homine externo, ipsaque mens apprehendit pugnam, vel se dat victam, vel reportat victoriam.

Cum itaque amores mentis superioris, et amores animi ex se et sua sponte in mentem rationalem influant et confluant, et cum hujus unice proprium sit se flectere ad partem unam aut alteram, videamus quomodo caetera quae in mente eadem rationali seu proprie humana sunt, inde fluant, ut de illis etiam praedicari possit, quod sint ejus propria, quaecunque enim a proprio seu a voluntate fluunt ut necessario consectaria, illa etiam propria sunt, et a suo principio trahunt omen et nomen: sed ordine et per exempla progrediamur.

1. Primus amor, voluntas et quasi desiderium mentis purae seu animae est mentem quandam inferiorem seu animum sibi associandi, quem ex suamet essentia producit seu creat, eique vitam inspirat; id est anima intellectorium purum format, et quidem ex suamet essentia, cujus mens est naturalis, haec mens inest intellectorio puro, et cuivis singularissime, communis illa singularium essentia et vita vocatur animus, cui sic solum naturale et corporeum, non autem spirituale inest, tametsi a spirituali descendat et creatus sit. Sed hic amor nondum est mentis rationalis, sed mentis purae seu spiritualis.

2. Mens jam spiritualis menti naturali associata, jam nihil amat et desiderat, nisi quod utrique commune est, mens spiritualis amat suam mentem naturalem, et mens naturalis respicit et veneratur suam spiritualem, et summis flagrat delitiis ut ab hac dependeat, eique subdita sit. Exinde jam primus amor communis fluit, scilicet ut formentur organa et instrumenta, per quae ita agere et operari queant, sicuti amor et desiderium utrique commune fert et aufert, organa ista naturae et amori utriusque convenientissime formantur, utraque enim mens solos intuetur fines, qui quia non nisi quam per organa et media instrumentalia queunt consequi, hinc instrumenta ista ad omnem finem utrique communem informantur; inde exsurgit machina illa corporea, quae mere est organica, prorsus secundum imaginem operationis utriusque mentis. Sed hic amor nondum est mentis rationalis.

3. Hoc tenello corpore formato exque utero materno seu ovo excluso, illico subit et quasi nascitur, aut a priori explicatur alius amor, qui est ut homo fiat, seu ut mente quadam propria, quae rationalis audiat, instruatur; homo enim quod homo sit, id a sua mente rationali trahit, qualis enim est ista mens, talis est homo. Mens tunc pura seu anima suam agit partem et mens intellectorii puri suam, id est mens spiritualis et mens naturalis, et quia utraque communem causam agit, et huic menti suam essentiam, naturam et vitam infundere desiderat, exinde sequitur quod haec mens dicatur rationalis, rationalis enim significat spirituale et naturale simul seu utriusque particeps.

4. Qui amat finem etiam amat media ad finem istum ducentia, utraque ista mens providit media, quando struxit organa, quibus mediis pervenirent ad finem; primus itaque amor medius, seu medii, utrique communis est, ut sentiant organa, scilicet ut audiat auris et videat oculus, seu sensorium commune seu cerebrum percipiat ea quae audiuntur et videntur; haec enim prima via, et primum medium est mentem rationalem formandi, et informandi, quicquid tunc harmonicum est, id gratum est, et laetificat animum, et quicquid disharmonicum id ingratum est, et animum contristat: ita animus jam primum excitatur, et sic concurrit tanquam ex se ad mentem hanc rationalem condendam: adhuc nulla est mens rationalis,

nisi tanquam in suis cunis aut in prima infantia, ejus enim solum esse incipit, quod flectere et vertere possit organa ista sensoria et objecta, ut quae influunt, hauriat; hoc unum est, uti supra dictum, quod ejus proprium est, et ad quod incitatur ab animo, qui grate, jucunde et delitiose ab harmonicis afficitur: nunc aetas incipit aurea, innocua, ridens, quia animus non adhuc contra mentem exsurgit, sed illam intime amat, quia mens ipsi animo inest, ac uterque ad unum finem conspirat, et animus adhuc nescit, qualis extra se mundus sit.

5. Amor hic communis progreditur semper ultra, et progrediendo crescit, insinuantur jam sensorio communi ideae materiales, et sensorio interno ideae immateriales seu prima intellectus principia, non ex proprio aliquo amore mentis rationalis, sed ex amore communi animi et mentis spiritualis, ipsa enim mens rationalis adhuc nescit unde talis amor venit, influit enim tam ex mente quam ex animo, mens finem desiderat, animus effectum et nescit finem animae, sed excitatur a jucunditate, quae ab harmoniis sensationum externarum internarumque profluit. Ipsa mens rationalis adhuc non plus ex se contribuit, quam ut se applicet, vertat intendatque ad ea quae utrinque influunt, quum enim advertitur, ejus solum advertentia requiritur.

6. Auctis sic ideis memoriae seu imaginationis incipit homo intelligere, seu percipere aliquid ultra, seu extrahit quandam essentiam seu sensum superiorem a vocibus, quae totidem sunt ideae materiales; intellectus quum incipit formare, etiam cogitat; et sic ultra progreditur, ac illico a cogitatis in voluntatem, non quidem ex aliquo intellectu, sed ex amore alicujus voluptatis, qui a sensibus animo, et ab animo huic intellectui insinuatur.

7. Haec delitiosa animi, quae menti rationali communicantur, apparent tanquam inessent menti, et inibi sentirentur, sed sunt extra ipsam hanc mentem, quae enim delitiosa, jucunda, et laeta apparent animo, haec in mente rationali apparent et vocantur bona, contraria vero mala; ipsa bona et mala sunt omnia ista amabilia, seu quibus animus afficitur: mens tum rationalis curiosa num hoc bonum aut malum sit, quod apparet jucundum et amabile, ideo fertur quadam cupidine in id ut rescire velit an sit verum bonum aut falsum bonum id est

malum, ut et num sit verum malum vel apparens malum; nam cognitio veri in se nihil significat absque bono, quod enim verum est respicere debet bonum ut suum subjectum: mens rationalis non in his subsistit, nam non persuaderi potest, num vere bonum sit nisi resciat subjectum boni, bonum enim nihil datur nisi sit in subjecto, hoc subjectum primo apparet, sed num hoc vere bonum sit, necessum est, ut inquirat, quale sit hoc subjectum, quae sunt ejus attributa, accidentia et adjuncta, et demum his exploratis persuaderi potest num bonum hoc sit vere bonum vel non: ita pergit mens rationalis in singulis, ut exploret naturam rerum objectarum, quibus videtur affici: talis videtur esse intellectus mentis rationalis, quem si penitius examinamus, clare appercipimus, quod haec omnia non sint intellectus propria, sed quod aliquis amor ex superiori influat sciendi qualitatem omnium earum rerum quae ex inferiore per viam sensuum et animi subinfluunt, sic ut mens ista superior advertat jugi mentem nostram rationalem, ut se informet de rebus sensui obviis, ne saltem ab apparentia decipiatur, mens enim superior optime novit, quam innumerae sint fallaciae rerum: quae est ratio, quod auferamur naturaliter a quadam cupidine sciendi, non solum praesentia, sed etiam futura, et non solum exstantia, sed etiam occulta, quod curiositas innata vocatur, estque primum movens nostri intellectus perficiendi, seu est ipse ille amor communicandi suam scientiam menti isti quae instruenda est, in his etiam mens ista nihil ex se agit, praeter quod rationalem suum intuitum ad mentem superiorem vel ad animam vertat, caetera sponte influunt, ipso amore excitante sciendi cupidinem, sed ab hoc momento, quo mens se ipsam applicat, praedicatur omnis hic intellectus de mente, quod ejus proprium sit; scilicet quod non solum appercipiat, sed etiam cogitet et judicet, fit enim tanquam ejus proprium, quia acquiritur, sed dum acquiritur, ipsa mens tanquam passiva est, sed modo flectit se ad hanc aut illam partem.

8. Circa formationem intellectus humani occurrunt quatuor aetates, vix aliter ac in magno mundo seu macrocosmo; prima aetas seu aurea est quando animus prorsus subjectus est suae menti, tunc enim non dici potest animus, sed mens inferior et naturalis; altera aetas seu argentea est, quando animus

non subjectus est menti, sed aequo jure cum illa regnat. Tertia aetas seu aenea, quando animus cum sua mente pugnare incipit, tentatque hanc solio suo dejicere: quarta seu ferrea, quando animus subjecerit sibi mentem superiorem, quae tanquam famula sit sui animi. Haec appercipiuntur in ipsa nostra mente rationali, ab ipsis amoribus, qui regnant et imperant, si corporis et animi, aut mundi sint, indicium est, quod amores spirituales solio suo expulsi sint et quasi exstincti; at vero quando amores spirituales regnant, tunc cedunt et quasi frigescunt amores corporei, et sic corporis concupiscentiae dicuntur mortuae; quantum enim vivunt corporis, tantum evanescunt spirituales, et vice versa.

9. Sed integritatis status foret, si amores spirituales soli regnarent, tunc non foret aliqua mens rationalis, sed sola mens spiritualis, non enim confluxus foret amorum, ita ut simus corporei, non subsistere facile possemus in hoc statu, superhumanum et miraculosum foret. At vero ut amores superiores et inferiores ex aequo regnarent, id est nostra melior vita, et mens rationalis foret supra suum corpus elevata, et ex se instructa de rebus obviis, ut nulla scientia magistra opus haberet: in deteriora semper ruimur, ita ab hac mediocritate deflectimur, hoc est ipsum rationale: infantes sunt solum spirituales, sed tunc mens rationalis foret nulla, vel si foret, non esset rationalis, sed spiritualis.

Sed redeamus ad affectiones seu amores, et inquiramus num aliqui insint menti rationali, qui ejus proprii dici queant; sed id nequaquam explorare possumus, nisi pertranseamus singillatim omnia ista desideria, quae apparent huic menti inesse; ex illis deinceps conclusum possumus formare.

Amores et affectiones mentis in genere.

In mente nostra rationali perpetui regnant amores, nec foret aliqua mens absque amoribus, sicuti non animus absque affectionibus; amores enim sunt mentis, uti affectiones sunt animi; ipsa illa objecta quibus mens afficitur, vocantur ejus amores; mens rationalis etiam intellectu gaudet, intellectus est separatum quid a mente, sicuti sensatio aut perceptio ab animo:

sed usque non dari potest intellectus absque mente, id est, absque objectis quae amantur, seu absque amoribus; si modo intuemur statum nostrae mentis, apparet liquido, quod a prima apperceptione seu intellectione excitetur aliquis amor: hic amor sic excitatus est primus in cogitatione, est ultimus, est medius, id est omnis, absque amore nusquam potest cogitatio existere; id noscitur etiam a desideriis, voluntate, et finibus mentis, nisi foret amor nullum esset desiderium, desideramus enim quod amamus, voluntati inest ipse amor, quae torpesceret vel nulla foret absque amore; ipse finis est subjectum illud seu objectum amoris: ergo amor est primum, medium et ultimum in nostra mente rationali Verum amores sunt innumeri, ipsaque media finium sunt amores, quia respiciuntur ipsis finibus tanquam unita, vel illis continua.

Est itaque mens ipsa anima aut ipsa vita intellectus, intellectus comparari potest cum corpore istius animae, sic conjuncta sunt, ut si mens aut ejus amores recedunt, intellectus sit nullus seu tanquam corpus exanimum; et amor absque intellectu ita dici potest tanquam anima sine corpore: ideo amor quidam inest nostrae menti rationali, antequam intellectus, et formatur intellectus a mente tanquam corpus a sua anima, in quo sit primum, et ultimum, seu omne.

Sed quaeritur num hi amores qui menti rationali deprehenduntur inesse, sint proprii illius, vel num aliunde veniant; apparent quidem tanquam essent proprii, sed ne per apparentiam abducamur, percurrere debemus aliquot amores, tum denique affectiones caeteras, quae menti inesse videntur.

Amor intelligendi sapiendique.

In prima infantia non appercipitur quod menti nostrae rationali insit aliquis amor sapiendi, ratio est, quod [non] adhuc ejus amoris conscii sumus, seu per reflexionem a phaenomenis tale quid ut principium intelligendi insit; tum etiam quod universalis quidam amor nondum limitatus aut determinatus ad certae scientiae amorem sit, quod nihilominus insit, id ex ipso effectu pro certo possumus concludere: absque enim tali amore nusquam potuissemus informare nostram mentem seu instruere ali-

quo intellectu, qui tamen perficitur ex quodam principio activo, seu amore; quod cupiamus videre, audire, memoria tenere, imaginari, cogitare, id in aetate innocua pervenit ab insito amore intelligendi sapiendique; quae etiam delitiae istis sensibus insunt, non possunt esse delitiae absque universali hoc principio interno; sed in hac aetate est amor intelligendi fere generalis et indeterminatus, et sic est purus amor sapiendi, absque objecto cui inest amabile, propter quod intelligentiam desideramus. In aetate vero adulta, tunc determinamus hunc amorem universalem ad singulare genus scientiae, quam amamus prae caeteris, ut vel artem bellicam, nauticam, politicam, mathematicam, scientiam juris civilis, theologicam, et plures; aetate adhuc progrediente nostrum hunc amorem [determinamus] ad speciem aut partem aliquam scientiae universalioris. In hoc statu, non amamus scientias alias [quam] quae propositam istam, quatenus ei affines sunt, et perficiunt. Ex his apparet quod aliquis amor menti nostrae futurae rationali insit ex se et ex natura, quae primum est universalis omnium, et temporis tractu singularis: si enim non in ipsa infantia fuisset universalis, nequaquam potuissemus mentem nostram aliquo intellectu instruere, nisi speciatim determinato ad certam scientiam. Hoc comparari potest cum appetitu edendi, ante gustum et saporem inest embryoni et infanti amor edendi, nec afficitur aliquo gustu nisi tractu temporis, quare etiam lacte nutritur, cui nullus fere gustus inest, at successu temporis excitatur delitiis per gustum, ut excitetur. Hic amor non proprius dici potest mentis rationalis, quia inest ante formationem intellectus, et formato intellectu non cognoscitur quod insit nisi per reflexionem ad affectus; ergo a superiore mente infunditur ac alitur per delitias animi et sic excitatur.

Amor sciendi occulta, et admiratio.

Quod insitus sit amor sapiendi id imprimis percipimus ab amore singulis familiari sciendi occulta; hic enim amor est qui omnem nostrum intellectum format, nam infanti et puero omnia quae usquam memoriae ejus imprimuntur, occulta prius fuere; ut primum vero impressa sunt, rapitur cupidine sciendi

quid in hoc cognito adhuc occultum lateat, ejus scilicet qualitates et plura; hic amor rapit nos in scientias, per quas pervenire in cognitionem occultorum persuademur: totus orbis Eruditus in experientias physicas, ut ab illis sapiamus seu occulta naturae penetremus, antiqui philosophi ab hoc amore toti abrepti sunt, sed in occulta naturae a priori, seu per principia et philosophiam rationalem, nostrates vero a posteriori seu per experientiam volunt penetrare, utrisque est idem amor, nam in hoc fine concurrunt: quis non desiderat naturam in suis intimis et nudam conspicari; quis non scire quid anima, ubi resideat, qualis futura sit post mortem, quid summum bonum; quis non interiora mentis alius, et sociorum societatisque regnorumque arcana, quis non delectatur quando telescopiis lunam, planetamque et ejus satellites contemplatur, et vult scire num ibi incolae sint, et quomodo in magno hoc vortice agant motus diurnos et annuos; quis non amat minima naturae insectaque visum latentia microscopiis detegere, praeter infinita plura, quae indicant, amorem talem insitum esse menti humanae, qui etiam sit principium sapiendi et causa afficiens formationis nostri intellectus; et quia ille inest ante formationem, nec ipsi appercipimus quod insit, nisi judicando ab effectu, sequitur quod a mente quadam superiore in nobis influat, cujus est universaliter omnia scire et intelligere, et hoc suum velle communicare cuidam menti inferiori, per quam se praesentem suo corpori sistat.

Admiratio est affectio omnis perfectionis relative ad subjectum, admiramur enim sapientiam in puero, non autem in sene, intellectum in insano, analogon virtutis in animali bruto; quamdiu itaque objecti nullam habemus notitiam vel aliqualem, tunc ejus perfectionem tametsi exiguam admiramur, ita admiramur mirabilia naturae, quae infinita sunt, formas occultas et similia, quare pueruli omnia admirantur, quia illis subjecta occulta sunt, quare haec admiratio coincidit cum amore sciendi occulta, quae enim admiramur, ea memoriae nostrae penitius infiguntur: quod natura tam mirabilis sit in suis regnis admiramur, sed si sciremus qualis ipsa sit, et quod perfectissima, et non nisi quam similia queat producere, desineremus mirari. Dei miracula ejusque providentiae documenta admiramur, quia

non capimus quod infinitus sit et ejus perfectio infinita, si hoc perciperemus nihil stuperemus, sed solum veneraremur et adoraremus, cogitando quod minima sint quae mente nostra capimus, et quod infinita sint quae intellectum excedunt: sed occultissimus est et nusquam explorabilis ulli menti, ut Deus sit, quem ex universo et admirandis naturae admiremur et adoremus. Quis foret Deus nisi imperscrutabilis.

Amor praesciendi futura.

Amor praesciendi futura in uno tertio cum amore sciendi occulta concurrit, futura enim quia occulta scire amamus, et quia amamus desideramus, est modo differentia quae est inter occulta simultanea, et occulta successiva, quae enim simul insunt, successive inferri debent, ideo quando futura noverimus, illa concipimus tanquam praesentia et simul insint, nam omnia praeterita fuerant futura: ideo etiam hic amor declarat, quod aliquid menti nostrae insit, quod est principium activum formandi nostrum intellectum. Hic amor etiam in omni mente humana ita regnat, ut insit omni ejus finium desiderio, quando enim finem aliquem desideramus, et impossibilitates quaedam obstant, desideramus statim scire eventum, unde spes, quare in unoquoque, cui spes inest, est amor futuri, quod scire desideramus; ob hunc mentium humanarum amorem plures artes excogitatae sunt, ut physiognomia, geomantia, arithmetica Pythagorica, astrologia judiciaria, olim auspicia, oraculorum consultationes, extispicia, somniorum interpretationes et plura. Ipsa praeterita etiam innumera, sicuti regum regnorumque fata et historiae non ita delectant, ac unicum illud novum, quod desideravimus scire; qualis itaque amor sui, talis amor praesciendi sua felicia fata, quod etiam pueris est jucundissimum; quantus amor patriae, tantum oblectamentum sciendi ejus prosperitatem futuram. Hic amor inesse videtur menti, sed non usque est menti proprius, ob easdem rationes ac supra de amore sciendi occulta tradidi, nam unus idemque amor est indicium quod talis cognitio insit animae, unde praesagia mentium et somniorum eventus.

Amor veritatum et principiorum.

Intellectus mentis nostrae rationalis absque amore veritatum nequicquam informari potest, et fieri intellectus, nam quot sunt ejus ideae, tot debent esse veritates, ex quibus analytice versatis et aequatis iterum nova veritas exsurgit, ex hac et similibus aliis adhuc novae veritates, usque dum ad veritates universales, quales animae et intellectorio puro insunt, perveniat; particularissimae veritates, et quae primum insinuantur, sunt materiales illae, quae sensuum ope haurimus, quas omnes uti apparent, mens pro totidem veritatibus primum arripit, et ab illis analysin suam rationalem orditur, et intellectum infantem format. Quot itaque conclusa formavit mens, tot assumit ut principia, si praemissis fidem habet, atque sibi fidit, quod rite illa formaverit; haec principia sunt istae veritates quae insunt menti rationali tanquam ejus propriae, sed non dici queunt veritates purae, sed potius probabilitates, sunt enim ut plurimum ex qualitatibus occultis conflatae, et in se spectatae opiniones, hypotheses, quod animadvertet, si illas intime resolvat, et cum aliis componat, et aliquid inde concludat, quod experimentaliter verum est; ipsae hae praesumptae veritates eo plus ut veritates agnoscuntur, quo probabiliores et verosimiliores reddi queunt, seu ita ornari et amiciri, ut forma interna non appareat; a superficie enim et forma externa ut plurimum de interna, ut de virtute virginis ex venustate ejus judicamus. Quod itaque amor insitus sit principia condendi, et illa ut veritates agnoscendi, seu quod eodem recidit, intellectum formandi, supra ostensum est: sed hic praecipue agitur de amore principiorum, ut veritates spectatorum.

Quod naturale sit amare veritates, id confirmari potest ab ipso ordine qui singulis formis et harmoniis naturae inest, ipsa veritas in intellectualibus correspondet ordini in naturalibus; et quia ordo in se sicuti harmonia afficit sensorium commune grate et animum jucunde, ita veritates mentem intellectualem: proinde sicuti ordo ponit harmoniam, ita veritas aliquem amorem seu aliquod bonum, de quo praedicari queat, quod sit vere bonum, vel vere malum; a communi experientia liquet, quod mentes humanae in tantum ament veritates, in quantum hae

confirmant ideam boni; sunt enim bona natura bona, et sunt apparenter bona; et sunt non bona sed mala, quae tamen usque afficiunt mentem tanquam essent bona; sicuti vindictae cupidus in ipsa crudelitate suas delitias et suum bonum concipit, ille dum isto amore aufertur, omnia amat quae confirmant, et odio habet quae impugnant; saepius ipsas veritates, quae oppugnant talem animum, intelligit, sed illas odit, etiam illos qui veritatibus animam ejus flectere volunt. Qui avarus est, et bonis alienis inhiat, is saepe veritates agnoscit, quod hoc naturae ordini repugnet, sed usque veritates istas odit, et amat omnes probabilitates quae persuadent ideamque ejus boni mulcent. Scelerati saepe sapientissime loquuntur, imo etiam concionantur, perque catenam veritatum ipsa scelera impugnant, at vero ipsas illas veritates mente sua oderunt. Ita sunt qui amant veritates, et qui illas odio habent, seu illa quae veritati contraria sunt, odium enim est amor contrarii. Mens rationalis similiter, illa ex insito amore veritates amat, absque illo amore nusquam potuisset intellectum suum perficere, usque ut judicio polleat; sed loco veritatum substituit principia, quae totidem sunt probabilitates, quas pro veritatibus agnoscit; haec principia seu has probabilitates amare, est ex eodem amore, quo amplectimur veritates. Quod hic ardor insit menti superiori seu animae, cujus omnes ideae sunt veritates, quas anima vel amat vel odit, id apparet ab effectu similis amoris in mente rationali, tum etiam ex origine ambitionis et irae, quae in anima sunt totidem calores et ignes veritates istas defendendi; dantur enim qui natura sunt sententiae tenaces, etiam in pueritia similes senectuti, senes enim omnia sua principia credunt totidem esse veritates, non item adolescentes, qui progredientis intellectus sunt, nec sui amantes.

Amor boni et mali.

Inter amorem veri et amorem boni est differentia qualis inter intelligentiam et sapientiam, veritates enim sunt intellectus objecta, bonitates vero sapientiae, sed intellectus nullus est absque sapientia, quia nullus absque amore alicujus boni, intellectus acquiritur per amorem intelligendi vera, sapientia

non acquiritur, quia ipsum bonum est amabile illud quod influit seque ex se insinuat, sed requiritur intellectus, ut intelligamus num vere bonum sit, nam apparenter bonum, et num non bonum seu false bonum; vere bonum in se est bonum, apparenter bonum est in se bonum quatenus ita apparet, false bonum est malum quod vero bono contrarium, ita verum et bonum sunt tam unita quam separata, ut amare possumus malum seu odisse bonum, et usque tamen intellectu pollere, seu intelligere verum et falsum, seu intelligere quod bonum non sit, quamvis id odimus, hoc vocatur sapientia intellectiva, scientifica, externa; ipsa sapientia non potest non cum amore esse conjuncta, et quia omnis amor est connatus, non possumus sapere a nobis, sed ab influxu amoris veri boni; utque influat, nobis concessa est libertas mentem ad hanc sive illam partem flectendi. Ergo *veritates* constituunt *intellectum*, qui eo major est, quo principia nostra accedunt ad ipsas veritates, seque ab umbra probabilitatum extricant, utque mens nostra rationalis intelligentissima sit, necessum est, ut sciat veritates universales, qualiter intellectorium purum et anima ex se, ad cujus perfectiones approximare connititur. *Bonitates* vero constituunt *sapientiam;* amare sapientiam est amare intelligentiam quae naturam bonitatis evolvit, at amare ipsum verum bonum est sapere; quare mens nostra semper ad summum bonum aspirat, de quo multa disputat, nam quisque bonum probabile assumit pro summo bono. *Scientia* non est intelligentia, nec sapientia, sed est causa media intelligentiae seu causa ejus instrumentalis, quare omnis scientia vel per propriam sensuum experientiam, vel propriae mentis intuitionem, et explorationem, vel per experientiam aliorum, scientias et doctrinas acquiritur; ubi intelligentia est naturalis, ibi etiam est scientia, nam unum ponit alterum, sed tunc scientia non apparet tanquam aliquid contingens, sed ut necessarium, et quod natura ejus sit id scire: scientia ut plurimum versatur circa objecta bonitatis. *Cognitio* vero est causa media, qua comparatur scientia, unde *doctrinae* et *disciplinae.*

Mens rationalis ex se nusquam amat bonum, sed judicat de bono et malo, cumque unum prae altero amplectitur, dicitur amare, quia admittit unum et excludit alterum, omne quod ju-

cundum est, delitiosum et adblandiens animo, et sensibus, seu amores sui animi admittit mens, seu facit ut in mentem influant, cujus idea quum occupatur, et expellit ideam contrarii, tunc dicitur mens amare, quia vocat id bonum, sed sunt amores non ejus proprii, verum influunt: similiter quum excludit animi sui affectiones, et sic admittit amores superiores, tunc vocat illa bona, et dicitur illa amare, quia tota in illarum idea occupatur: sic obsidetur mens rationalis ab amoribus influis, quando ipsamet amore proprio careat, sed vocantur proprii, quia influunt et ideam ejus obsident.

Affirmativum et negativum.

Quod mens possit affirmare et negare, clare indicat quod in medio posita sit inter binos amores, qui utrinque influunt, et quod eligere possit unum et rejicere alterum, seu quod hoc unicum mentis sit proprium; absque hac proprietate nec potuisset mens existere, minus subsistere. Caetera omnia quae sunt in universo corpore, non possunt affirmare nec negare; ipse noster animus id nequit ex se, quia afficitur secundum harmoniam istam quae objecto inest, et suae naturae convenit; oculus nec potest affirmare aut negare, sed afficitur ab objectorum harmonia et colorum mixtura, inter quos sit ordo naturalis, ut in iride: ipsum intellectorium et anima nec possunt affirmare aut negare, sed omnia ista quae perfecta sunt in se, grate afficiunt, imperfecta vero in se ingrate, sed secundum ipsius animae naturam; ita potest anima solum amare hoc et odisse illud, at vero affirmare et negare id non est ejus, sed solius mentis rationalis; ipsae veritates animae sunt inditae, sed ejus status ille veritates in se vel amet vel oderit, ita ut nequaquam possit jam amare quod antea oderit, sed quod induat hunc statum, id solum est in hac vita, et quidem per mentem rationalem, quae affirmare et negare potest, atque eligere unum prae altero.

Ut ergo menti rationali sit libera electio, sitque voluntas, et sic facultas affirmandi et negandi, ei nulli amores proprii concessi sunt; si ei forent amores proprii et naturales, tunc omnino ejus affirmativum et negativum cessaret. At quod amores ei videantur innati, sicuti amor honesti, cujus semina in

mente reposta esse videntur, et quod ei sint inclinationes, id non probat quod ei insint amores naturales, sed solum dispositio quod hos amores melius possit recipere quam alios, facilius ita status suos mutare quam aliter, seu facilius esse in his ideis quam in aliis, verbo quod amores illos potius velit admittere quam alios; sed tamen id non probat, quod sit amor ei insitus et proprius.

Conscientia.

Conscientia bona et conscientia mala videtur esse propria affectio mentis rationalis, sed num sit, liquebit ex inquisitione ejus originis: Ipsa conscientia dependet primario ex determinatione veri boni, quicquid credimus esse verum bonum, et tamen contra illud agimus, id conscientiam malam excitat, et quicquid credimus esse malum, et tamen id agimus, conscientiam malam excitat: contra vero conscientiam bonam: ita conscientia nostra dependet a principiis nostris, quae totidem credimus esse veritates: sic conscientia unius bona, potest alterius esse mala ex una eademque causa; facinorosi conscientia bona est, honestorum mala; Diabolus contra suam conscientiam agit, si non agat malum, quamvis sciat quod contra veritates spirituales sit. Conscientia admodum manifeste declarat, quod mens nostra rationalis sit media inter amores superiores et inferiores: conscientia bona correspondet laetitiae in animo, et conscientia mala tristitiae, quare etiam laetitia et tristitia per correspondentiae modum in mentem influunt, et conscientiam ejus excitant. Status etiam animae, ejusque amores ad conscientiae statum in mente rationali multum contribuunt; anima quae amat veritates, quando ejus amor regnat in mente rationali, tunc latenter angitur ab iis quae contra istum amorem facit, id est, conscientia vera; si vero anima odit veritates spirituales, et fit diabolica, tunc angitur mens ab ipsis veris bonis, quando ab his ducitur: Ergo conscientia venit ab animo et a mente superiore; et talis est, ut vix ullus sciat qualis est, ut enim quis de veritate conscientiae judicet, scire omnino debet quid vere bonum, qualis sit ejus mens, et qualis sit ejus animus; quod solius Dei est: ipsa conscientia unumquemvis judicat.

Summum bonum et summum verum.

Hoc indubium est, quod detur bonum in se bonum, et quod detur principium istius boni, quod sit ipsum bonum principaliter, ac ipse amor: sique detur bonum in se, necessum est, ut omnia ista quae ab illo bono fluunt, et quae ad illud bonum tendunt, sint bona in se; quae vero a via deflectunt, et adhuc magis, quae contraria sunt huic bono, nec ad illud tendunt, sint mala in se, et in tantum mala, in quantum ab isto bono distant: Ex his manifestum est, quod nihil potest esse ipsum bonum quam Deus, qui fons est omnis boni, id est, omnis perfecti. Quae vero mala sunt et imperfecta sunt, apparere possunt tanquam bona et perfecta sint in nostra mente, et sic persuadere quod sint amplectenda, ast in mente puriore et sublimiore nusquam ita quid agnoscamus quod mala sint, sed amplectantur quia mulcent, et statui nostrae mentis conveniunt; tunc etiam quandoque vocantur mala necessaria. Ex his jam apparet, quod unusquisque amplectatur et agnoscat id ut summum bonum, quod statui suae mentis convenit; uti vindicta vindictae cupidini, opes avaro, et sic caeteris, verbo unusquisque ponit summum bonum in bona conscientia; sed perspiciendum est, quid bonum, num verum bonum sit vel falsum bonum; ideo veritates universales indagandae sunt, et his instruendae sunt mentes.

Summum bonum ponit etiam summum verum, quodcunque affirmat hoc summum bonum id est summum verum, caetera sunt falsa, sed vera etiam sunt mala, proinde summum verum significat id quod ipsam cujusvis naturam qualis est in se exprimit, sic etiam naturam boni malique.

Bonum in mente significat perfectum in natura, quare sibi mutuo correspondent; ipsae perfectiones sunt superiores et inferiores, ideo summum bonum in se differt aut distat secundum ipsa subjecta, quae bonum istud admittunt. Summum bonum corporis est voluptas quae maxime corpus afficit: summum bonum animi est iste amor qui summe illum afficit; haec sunt summe bona in se respective ad corporis et animi statum, qui recipiuntur, et qui a bonis istis afficiuntur: talis etiam est mens animae, et intellectorii puri. Summum bonum mentis rationa-

lis est id quod lubentissime admittit, et quibus summopere indulget, seu in quos ejus ideae seu status mutationes inclinant. Haec omnia in se summa bona sunt, quatenus ad summum bonum in se directe tendunt, ac illud respiciunt; id est, quantum sunt in nexu seu amore cum summo bono.

Omnis facultas et mens sive superior sive inferior sive media ad summum bonum ex amore insito aspirat, sed tamen nusquam pervenire potest ad illum gradum boni, in quo est mens superior, menti enim superiori aliquid infiniti inest, ad quod mens inferior pervenire nequit, nisi dissolveretur seu rumperetur: quod summum est mentis inferioris vix dici potest minimum mentis superioris; ita videre possumus quod mens nostra rationalis nequaquam cogitare possit qualis futura sit felicitas aut infelicitas suae animae, sique non cogitare, nec potest exprimere. Simile occurrit circa summum verum, mens nostra licet in indefinitum progreditur, et suum intellectum diffundit, nusquam tamen potest venire ad puram veritatem, qualis est in anima, nisi dissolveretur aut rumperetur; sic penetrare nequimus, qualis intelligentia pura sit, seu intelligentia animae. Sic limes est positus quousque noster intellectus queat se extendere, seu quo ultra nequit, sed ei usque talis campus est concessus, ut usque in indefinitum queat extendi, ille etiam amor ei naturaliter inest; at si velit supra seipsum elevari, seu ambire se superiora, tunc vel perit et dissolvitur, vel in statum illum redigitur, ut postea nequeat id ambire, et sic contra amorem et legem ordinis peccat; talis usque amor mentibus nostris connatus est, et quasi haereditate ab Adamo cepimus. *Verbo omne bonum et verum in se est Divinum, omne malum et falsum in se est diabolicum; omne bonum et verum apparens et simile est humanum*, sic justum, sincerum, honestum, virtus, etc. etc.

Amor virtutum et vitiorum; honestum, decorum.

Honestum est commune omnium virtutum, nam virtutes omnes simul sumtae constituunt honestum; ita honestas est forma, cujus determinationes essentiales sunt virtutes in specie: unaquaevis virtus est forma, cujus determinationes essentiales sunt partes istius virtutis, *decorum* autem est forma ex-

terna virtutum, ut enim appareant virtutes requiritur externum, ex quo judicare queamus de ipsa honestate ejusque partibus; quae est ratio quod decorum tot modis variari queat, unaquaevis forma externe mille modis variari potest, ut et formae internae status variari, remanente forma externa; haec est ars nostra politica, ut mentes quae ab externis judicant, de internis persuadeantur.

Inhonestum contra est forma, cujus determinationes essentiales sunt vitia, et omne vitium est forma, cujus determinationes essentiales sunt partes istius vitii. *Indecorum* est forma externa. Omnis enim forma interna suam formam externam habet, quae vocatur figura, quae naturaliter correspondet formae internae.

Nulla datur virtus in se, sed bonum in se; at vero ut virtus sit audiatque, necessum est ut praecedat affirmativum et negativum, intuitio rationalis quod bonum sit eligendum, sit voluntas, et sit finis quem ut bonum intuemur; haec non concurrunt nisi in mente rationali, proinde virtus nulla moralis prodit nisi a mente rationali; machina inanimata si alicui egeno nummos porrigat, id non virtus potest dici, si quis alicui benefaciat, et nesciat quod id facit, seu ex alia intentione, vel ex necessitate, id non virtus dicitur: insanus si societati serviat, id non virtus est, sed bonum: ergo quicquid naturale est et necessarium, id exuit nomen virtutis: ita omnes virtutes sunt solius mentis. Similiter etiam vitia, nullum datur vitium in se, sed malum in se, ipsa mens facit, ut vitium morale sit. Ita omne morale, uti omne vitium est solius mentis rationalis.

Quae itaque sunt virtutes et quae vitia, supra exposui, ubi de affectionibus animi actum est, scilicet ambitio, amor sui, amor patriae, vindicta, ira, avaritia et plura, haec omnia sunt vel bona vel mala in se, sed usque non audiunt virtutes aut vitia, nisi quatenus a mente rationali proficiscuntur: quo itaque mens est instructior, et intellectus major, eo magis est virtus aut vitium, quod inde profluit: ita amor sui prae aliis est malum in se, at si talis sit in mente, est vitium, vicissim amor plurium et societatis prae se, est bonum in se, sed non audit virtus nisi in mente rationali. Virtus itaque dependet a statu mentis rationalis, prout haec respicit bonum, quod sit verum

bonum, vel non vere bonum seu malum; quando nescit mens num sit vere bonum vel vere malum, in suspenso tenetur, et dicitur ejus conscientia dubia, in hac nihil facere debet, quia id non est bonum nec malum, et sic non rationale, sed brutum aut irrationale, seu tanquam machinae non animatae. Ergo prout mens judicat de bonis, ita judicat de virtutibus et vitiis.

Est itaque mens rationalis, quae qualificat omnes istas affectiones quae animi et corporis dicuntur, illae omnes tales sunt, quales a mente rationali proficiscuntur: quare de singulis illis hic agere supersedeo, quia omnes se ad amores et bona insinuant menti, haec per suam voluntatem in actum determinat: haec est NB. causa, quod nihil dici queat virtus aut vitium, quod in mentem rationalem influit, sed quod a mente rationali effluit: et tanta major est virtus, quantum illud quod influit sub specie boni persuadeat menti quod virtus sit, cum tamen sit vitium.

Quaeritur jam num aliquis amor virtutum aut vitiorum menti rationali naturaliter insit; ab experientia confirmatur, quod semina honestatis sint quorundam mentibus insita, seu quod sint inclinationes ad honestum, et vice versa, sed quicquid ex natura inest alicui menti, quae nulla est absque cultu, seu quae formanda est, ut sit rationalis, quaeque nihil ex se possidet nisi quod acquisitum est, videtur quod amor virtutum non sit ejus proprius, sed sit mentis superioris quae influit, et hanc ejus naturam constituit; accedit, si amor boni influat, et hoc bonum audiat virtus quando mens rationaliter id intuetur, quod naturae boni conveniat; ita non potest amor virtutis dici proprius menti rationali, sed quod anima sit bona, ex qua ille amor fluit, vel etiam quod mens naturaliter talis sit, ut potius ad hos quam ad illos amores recipiendos inclinet: sic ejus inclinatio est solum facultas se ad hunc vel ad illum amorem recipiendum flectendi.

Sed quatenus mens rationalis se adplicat utrinque, etiam ad receptionem vere boni se [applicat,] ejusve amoris, et hujus boni conscia redditur, et ex amore isto influo velit et desideret ejus consequutionem actualem, praedicari potest amor virtutum et vitiorum de mente rationali, per illam enim facultatem sibi bona ista aut mala adpropriat tanquam sua.

Conclusio quid sit animus, quid mens spiritualis et quid mens rationalis.

Animus est forma, cujus determinationes essentiales sunt omnes istae affectiones quae a corpore, et a mundo per fores sensuum influunt. Unaquaevis affectioni praeest quasi animus specialis, cujus determinationes essentiales sunt omnes istae affectiones quae sunt istius affectionis partes; et sic porro: talis animus est noster genius, quare indulgere genio aut animo dicitur, et unusquisque ab antiquis cultus et adoratus est ut deus, quibus omnibus praeesset Deus communis, inde Jupiter, Apollo, Venus, Mars, caeterique, ac illorum specifici alii. In sacris et communi sermone dicuntur omnes istae affectiones animi quae ex corpore, a corde venire, sic toto corde, seu toto animo, misericors, excors, vecors, etc. quae sanguinis sunt.

Mens spiritualis, est forma, cujus determinationes essentiales sunt omnes illi amores qui a superiori influunt, seu a Deo per suum spiritum, medio verbo, aque coelo seu societate animarum coelesti; haec mens vocatur proprie spiritus, cujus subjectum est anima, sic anima quidem dicitur spiritus, sed proprie spiritualis.

Mens rationalis est forma, cujus determinationes essentiales sunt omnes isti amores qui tam a mente spirituali, quam ab animo influunt, qui sunt mixti, et vocantur rationales, non ejus proprii, quia non remanent, si mens spiritualis suos et animus suos subtrahit. Sed proprie mens rationalis est forma, cujus determinationes essentiales sunt omnes virtutes et vitia; nam proprium ejus est, conscire quid bonum et malum, sic ista eligere quae bona sunt, et omittere mala, id quod ex mente rationali prodit, vocatur virtus vel vitium. Cuilibet virtuti et vitio sua praeest mens rationalis, cujus determinationes essentiales sunt omnes partes istius virtutis vel vitii.

Mentionem etiam feci *mentis alicujus superioris quam naturalem* dixi, quae scilicet intellectorio puro inest, sed haec mens est ipse ille animus, animus enim est universale, et mens uniuscujusvis intellectorii est singulare, ut enim universale existat, debent esse singularia ex quibus universale existat et subsistat.

Quod mens rationalis sit proprie id quod homo dicitur.

Forma externa non facit hominem, nam simia etiam humana est facie, usque est simia, cera etiam efformari forma humana potest, sed usque est cera, et simulachrum hominis. Forma externa corporis nec constituit hominem, similibus membris et visceribus, et simili fere structura gaudent animalia bruta, imo etiam imperfectiora, ut insecta. Loquela non facit hominem, psittacus enim loquitur, nec tamen est homo. Animus non est homo, nam simili animo gaudent etiam bruta, suique corporis, et sui mundi amoribus similiter ac homo afficiuntur.

Sed quod mente rationali gaudeat, scilicet quod cogitare, judicare, libere arbitrari, et velle possit, id est homo: talis etiam ab omnibus aestimatur homo, qualis est ejus mens rationalis, si solum animo et genio indulgeat, sique stupidus sit et hebes, dicitur brutus, animal, nec agnoscitur homo, nisi ut aliquid insit adhuc humanum, quod cogitare possit. Quo itaque major intellectus seu sublimior mens rationalis, eo major homo; si excellit caeteris, dicitur id suprahumanum et divinum, et aliquid quod supra hominem est.

Ipsi etiam in nobis agnoscimus id solum tanquam nostrum proprium quod mente possidemus, omne enim in toto systemate qualificatur a mente; quare omnes amores tam superiores quam inferiores in mentem rationalem ut in suum centrum influunt et confluunt, aque illo effluunt, sic principium omnium actionum et finis omnium sensationum, seu concentratio totius est in mente: quare caetera omnia quae extra mentem sunt, respiciuntur tanquam instrumenta et organa mentis; quae mens nescit qualia sunt, nec curat scire, modo ei tanquam famulitia inserviant; et videtur Deus tanquam ipsa haec naturalia ita contempserit, et tantum in numerum instrumentorum reposuerit, quia nobis non revelavit, qualia sint, et quomodo mens per illa agit, sed quod solum illa dederit, et illis circumscripserit mentem, ut obsequiosa et paratissima stent ad omnem effectum, per quem mens promovere finem vult.

Id solum amamus quod ipsi huic menti rationali tanquam

proprio nobis adblanditur, nam quisque vult videri qualis est per mentem, si per corporis ornamenta, est ut ostendat qualis sit ejus mens. Ita etiam odimus id quod mentem istam infringit, et saepe ruimus in iram; quod corpori timeamus, est ut mens suis instrumentis et agendi potentiis non privetur.

In mente rationali est vultus animae, sicuti in corpore est vultus et effigies animi, ita mens rationalis potest dici corpus animae, quia ad ejus operationum imaginem est formata.

Haec mens indicat qualis est anima, si anima non sit spiritualis, ac immortalis, nequicquam potest talis mens formari, in qua spirituale et naturale sit conjunctum; quare quia spirituale inest menti et simul naturale, possidet mens ista, ut in quodam centro confluxuum, quicquid homo possidet; quare est mens rationalis id quod dicitur homo. Hac mente destructa, perit homo, tunc est spiritus, quia sola anima vivit.

Haec est ratio quod homo dicatur internus et externus, spirituale id quod in mentem rationalem influit, est homo interior et superior, naturale vero, quod ab animo influit, est homo externus: mens est quae in se percipit, quid suadeat homo externus et internus. Ergo homo externus est idem ac animal; internus vero idem ac angelus.

Liberum arbitrium seu electio boni malique moralis.

1. De libertate mentis humanae Eruditi in partes digrediuntur, sunt qui in divinis et spiritualibus nullam esse relictam nisi umbratilem et vix agnoscibilem asserunt, sunt qui omnem dicunt relictam esse in rebus mundanis et corporeis, alii vero regerunt, quod haec libertas potius sit servitus, nam mens sic a suis animi affectionibus in vinculis tenetur, et sunt qui nullam dari libertatem, tametsi appareat tanquam sit aliqua, statuunt, nam sive abducimur a nostris ipsismet amoribus, vel ab aliis qui in mentis nostrae sphaeram influunt, vel ab absoluta quadam directione divina, quae nos tanquam torrens aut velum navem aufert: accedit, si nulli sint amores proprii mentis, sed omnes vel a superiori vel ab inferiori in illam influunt, quod mens non sui sit juris et arbitrii, sed vel animae vel corporis, a

quorum affectionibus tanquam conflata esse videtur. Sed omnes has controversias missas faciamus, argumenta enim assumere et refellere foret opus sterile, si enim argumentis a posteriori seu ab effectuum turba petitis inhaeremus, sane collidimus, mentes tanquam in densa et caliginosa sylva, nec ultra proximum collem aut proximam pirum extendimus visum; hinc ad editiora scandamus, seu ad principia et originem, seu ad veritates universales, et ab illis suo ordine descendamus, nec deflectamus a via aliquem refellendo, sed usque ad metam pergamus.

2. Quod mens nostra libere arbitrari, seu libere cogitare, et quando imposibilia non impediunt, libere velle et agere queat, id ab unoquovis agnoscitur; absque libertate cogitandi seu agendi cogitatis convenienter, nullus foret intellectus, et nulla voluntas, ipsa vera voluntas exsularet ex turma vocum, nam nesciremus quid esset; absque libero arbitrio nihil foret affirmativum et negativum; accedit quod nulla foret virtus et nullum vitium, proinde nulla moralitas; nulla etiam foret religio et cultus Divinus, hic enim poscit mentem liberam; aliter nulla exauditio, minus imputatio, quia nihil ut nostrum potuisset respici; quis enim imputat alicui machinae, aut ei qui ex necessitate, aut non ex se agit; nos etiam homines respicimus actiones ex sola voluntate, quae non coacta sit, quid justitia Divina. Verbo absque dono libertatis non essemus homines, sed pure animales; nam quid foret humanum aut nostrum nisi liberum posse cogitare, et velle et agere, quique libere potest cogitare, etiam libere potest velle, nam voluntas et actio sequitur cogitationem. Ergo non solum esse, sed etiam posse ex se est vere humanum. Supra etiam ostensum est, quod unicum illud nostrum sit libertas illa, quae voluntatis vocatur.

3. Id etiam constans est veritas, quod absque intellectu nulla sit libertas, et qualis intellectus, talis libertas, quae cum suo intellectu crescit decrescitque, adeo ut libertas dici queat intellectus sponsa, aut mentis rationalis unicus amor. Nulla enim est libertas in infante, major est in adultis, nulla in insano aut deliro, nulla quoque in mortuo, exstincto intellectu; ex his sequitur quod major sit libertas in intelligente quam in-

stupido, erudito quam ignaro, et sic porro, nam id consequens est prioris:

4. Sed quia erroneam de libertatis essentia fovemus opinionem, vix comprehendere possumus, quod ipsa secundum intellectus gradum et excellentiam crescat, nam liberiorem semper credimus illum qui potentior est, opulentior, et sibi relictus, et sic imperator multo liberior milite, rex subditis, et quilibet suo famulo, etiamsi hic omnium intelligentissimus foret. Imo etiam illum liberiorem praedicaremus, qui carceri inclusus aut vinculis injectus est quam qui sui juris et arbitrii vivit: sed quando de libertatis perfectione et essentia loquimur, non intelligimus formam ejus externam sed internam: ipse enim captivus et famulus potentia liberior suo domino potest esse, tametsi non sit actu: intelligentior potest esse qui obmutescere cogitur, quam qui continuo blaterat, acutior visu cui oculi religati sunt, quam cui aperti, potentia non actu.

5. Ipsam etiam licentiam vulgo confundimus cum libertate, scilicet, genio indulgere, obseqni arbitriis et libidinibus animi, remittere posse omnia fraena corpori, imo mentem nostram vesanam prorsus in actum similem erumpere pati, sed hoc non est libertas, est enim vera libertas, est apparens libertas, estque falsa libertas quae vocanda est servitus; vera libertas non consistit in posse cogitare et cogitatis convenienter agere, sed posse sapienter cogitare et judicare, crescit enim secundum intellectum, et rectae rationi convenienter agere, id est, eligere bona, atque omittere et repellere mala; dare animo suo fraena, est ruere in sui perniciem tam corpore quam anima, et verum malum pro vero bono amplecti; ideo de tali nulla potest praedicari libertas, sed potius servitus, nam mens nostra rationalis perpetuo regitur amoribus, quorum aliqui sunt boni, aliqui perniciosi, id itaque libertas est, ut mens possit jugum istud excutere, seque non ab amoribus perniciosis, sed pati a vere bonis regi; in hunc finem etiam libertas concessa est.

6. Si libertatem arbitrii et voluntatis perpendimus, non possumus non notionem quandam spuriam de illa formare, et nobis imaginari, quod aliquid separatum sit ab intellectu mentis rationalis; vel si ei adjunctum, quod in se tamen sit aliquid per se, quum tamen sit qualitas, quae ex ipso intellectu tali re-

sultat, si enim cum intellectu crescit decrescitque, et nulla est in prima infantia, et quod talis sit qualis intellectus, sequitur quod ita insit intellectui, uti qualitas suo subjecto.

7. Ut ergo genuinam ideam de hac libertate nobis comparemus, necessum est iterum describere quid intellectus, et qua ratione formatur: intellectus, uti suo loco indicatum est, consistit ex meris ideis intellectualibus, quae ex ideis materialibus primum formantur, ipsa enim cogitatio non est nisi volutio et versatio talium idearum, quae quando in certam quandam formam collatae sint, inde resultat judicium, seu conclusum cui simul insunt ideae, quae cogitationi successive: confirmatum etiam supra est, quod ideae memoriae, imaginationis et cogitationis non sint nisi mutationes status sensorii interni et intellectorii puri, et quod tales mutationes queant in sensoriis et intellectoriis infinitae dari, illarum enim perfectio in statuum mutabilitate consistit; quare in sensorio et cumprimis intellectorio dari queunt tot status mutationes, quot usquam rationes, analogiae, series, aequationes, formarum varietates in numeris et geometria etiam sublimiore et perfectissima; sic ut dari queant mutationes status communes et particulares, universales et singulares, generales, speciales, individuae, multiplices simul et successive, coordinatae, sibique mutuo subordinatae, ac subdivisae, scilicet totidem et tales, sicuti aequationes in calculo infinitorum, cum quibus et cum quarum formatione apprimis comparari queunt: hanc itaque facultatem mutandi suos status esse ipsam facultatem producendi ideas, mente nostra percipimus, inque illa intellectualem potentiam et actum consistere, jam loco ejus substituamus voces communes, ut intellectum, ideas, cogitationem, principia, judicium, et plura, non prorsus coincidunt, horum tamen termini nobis familiariores sunt, nec intellectus perceptionem morantur.

8. Ipsa ergo Libertas consistit in producendis status mutationibus in sensorio et consequenter in intellectorio; seu in statibus induendis qui huic aut illi fini conveniunt: possumus enim cogitationes nostras in quam velimus partem vertere, et in quo statu universali mentem fixe retinemus, in illum non possunt aliae ideae influere, quam quae ad illum pertinent, est omnis cogitatio forma, quae a determinationibus essentialibus consti-

tuitur, in communem talem formam non influere possunt quam determinationes particulares, quae ei conveniunt, aut si universalis, non nisi quam singulares, quae naturaliter universalem illam determinant; sic qualis est status mentis, tales influunt ideae, et talis inde nascitur forma, et talis affectio istius formae, seu amor; caetera quae non formae isti conveniunt, vel non admittuntur, vel reflectuntur, vel si insunt, expurgantur, verbo rejiciuntur tanquam heterogeneae, ac formam istam destruentes: id quovis momento manifeste experimur, quando enim figimus nostram cogitationem in una aliqua re, tunc respuimus et rejicimus omnia illa quae non similia sunt, tanquam discordia, sicuti si amorem quendam nostrum cum intentione et desiderio intuemur, uti si honorem quem affectamus, Venerem qua perimus, opes quas desideramus, et plura similia, tunc permanet mens in hoc statu, admittitque omnia illa quae conspirant, repellit quae illum destruere conantur, seque ipsam exauget, accenditque, ut vix a statu isto in alium divertere queat, aliumque induere, et si forte decidit, contristatur, illum ruminando revocat, dejicitur, et sic in statum contrarium, qui menti nostrae vim et violentiam inferre solet: sed redeamus ad Libertatem.

9. Menti nostrae rationali concessum est, non solum suos status mutare, aque una cogitatione in alteram labi, sed etiam conscire et intueri omnes istas particulares ideas quae communi statui insinuantur, imo etiam ipsum statum pernoscere qui sit, quo amore regatur, et quomodo accendatur, huncque statum cum alio conferre, et pervidere, quinam illorum praestet, et ipsi ordini naturae convenientior sit; haec facultas est quae vocatur libertas in mente rationali; ex quibus manifeste videmus, quod tanta et talis sit libertas, quantus et qualis sit intellectus, et quod uterque simul concipiantur, nascantur et efformentur.

10. Ipsa vero libertas intellectus humani, quae libertas intellectualis potest appellari, in aliquot classes potest redigi, et sic distinctius concipi, tot enim sunt libertatis partes, quot sunt intellectus, partes intellectus sunt, intellectio, cogitatio, judicatio, conclusio, resolutio, voluntas, per quam demum in actum determinatur; *intellectionis libertas* est omnium minima, aegre possumus arcere, ne influant sensationes, seu ideae materiales

ab auditu, visu, caeterisque sensibus, proinde nec impedire, quin sensationes istae animum et hic mentem rationalem in varia desideria excitent, sunt enim jucunditates et delitiae, quae mentem rationalem permulcent, illamque in statum istum naturaliter auferunt; sic ipsae cupiditates animi quae a corpore mundoque seu societate humana profluunt, vix impediri queant, quin influant, nisi velimus sensuum nostrorum organa, nosmetipsos ab istis, quando ut totidem tentamina creduntur, removere, vel quando influunt, mentem ab iis avertere; quod fere naturam humanam excedit. *Cogitatio* immediate excipit perceptionem, ita etiam *libertas cogitationis*, quae sicuti ipsa cogitatio est summa, mentem enim ab ideis semel excitatam vertere possumus quocunque libet, in illam admittere ideas ex promptuario memoriae; sed iterum super singulas ideas reflectere, quae totidem possint esse novae advertentiae et excitationes: haec libertas in mente humana est regnantissima, exque illa videre possumus qualis sit nostra natura, ad quos scilicet amores inclinemus, quos lubentissime admittamus, et quibus indulgere delectemur: sic ex ipsis cogitationibus appercipere licet, qualis sit usus libertatis. *Judicatio* excipit cogitationem, et consistit ex totidem principiis prius formatis, quae mens ut veritates aestimat, principia ista sunt totidem ideae intellectuales, exque conclusis ex ideis cogitationis, seu ex cogitatis formatae; *judicationis libertas* non tanta est, quanta cogitationis, nam antequam in judicium, ut sint res judicata, admittuntur, eliguntur solum ea, quae veritates esse credimus, vel si non ut veritates credimus, ex intuitione et aequilibratione plurium aliorum amorum, quibus ferimur, ita temperamus et moderamus analysin cogitatorum, ut sub specie humana et decente appareat; imo etiam contemplatur tunc mens praesentia non solum ex praeteritis, sed etiam ex futuris, nam una quasi aequatio, cui omnia ista insint, formatur, et quae futura, etiam possibilitatem intuetur et librat; quare judicationis libertas admodum restricta est ad quendam ordinem magis naturalem, quam libertas cogitationis quae solet erratica esse; ei tamen alte reposta inesse potest amor, qui ex solo timore jacturae alius amoris refraenatur: sed haec prolixa est materia. *Conclusio* sequitur immediate judicationem, nam tunc concludimus ut in

voluntatem remittantur, perque illam in actum determinentur, sic est conclusio tanquam linea aequationi subducta, quae mox in suas partes resolvenda est: in concluso hoc clare perspicitur qualis est libertas, seu qualis fuerit in judicatione, et qualis in cogitatione, ei enim simul omnia insunt, sique non in actum erumpunt, nihilominus insunt, adeo ut sit modo intuitio futuri, indeque oriundus timor finis desiderati, quae totidem sunt resistentiae et quasi impossibilitates, quae actum remorantur, et illico iis remotis, ardenter erumpit. Sic libertas jam admodum refraenata est, utque refraenetur, sunt leges civiles, poenae, aestimationes aliorum, infortunia et plura, quae unice retardant; sed consideranda est mens conclusi, tanquam jamdum sit actualis; sed remanet usque libertas menti hoc suum conclusum iterum dissolvere, et novum quoddam formare; sed haec libertas admodum est debilis, quatenus ei plerumque inest amor sui, proinde idearum, quas aestimat ut veritates. Hanc libertatem sequitur *libertas resolutionis*, scilicet quod aequatio jam actualiter in suas partes successive resolvenda sit, ut enim per actiones vel membrorum corporis, vel faciei, vel linguae, seu per loquelam, singula quae concluso inerant successive sunt evolvenda, huic nulla manet libertas, nam dependet ab ipsis essentialibus quae insunt concluso, ista enim facultas resolvendi aequationem non est aliqua operatio intellectualis, sed pure organica, et unice ab intellectu dependet. Sique enim absque intellectu determinantur, id consideratur ut quoddam animale, quod non respicitur ut virtus aut vitium, seu laude aut vituperio dignum. De voluntate infra acturus sum.

11. Ex his apparet quod libertas sit cogitandi et libertas agendi, quod inter tanquam media intercedat libertas arbitrandi, quodque mens nostra non arbitra sit disponendi, quin objecta sensuum et illecebrae inde exque corpore et mundo oriundae influant, sed quod arbitra sit, ne effluant, seu in actum determinentur.

12. Quod libertatem cogitandi judicandique attinet, illa est fere absoluta, sed qualis intellectus, talis cogitatio, id liberrimum est, ipsam cogitationem ex se fraenare, ne excurrat quo cupiditas trahit, si enim admittitur in cogitationem, nec in primo hoc limine in vincula traditur seu cohibetur, facile dein

totam mentem occupat, ut mens non amplius sit sui arbitrii: hinc vera libertas in eo consistit, ut mens sibimet ipsi queat imperare, et jugum sui animi excutere: hoc quomodo effectum consequatur, etiam physiologice potest demonstrari.

13. Libertas vero agendi admodum est refraenata, nam infinita obstant, quin omnis cogitatio in actum effluat, sunt enim leges civiles, sunt poenae, sunt decorum et honestum, sunt ambitiones perversae quae amictu veritatis ornandae sint, sunt respectus personarum, quibus obediendum, sunt necessaria victus et amictus, ad quae comparanda infinita sunt media, quae respiciuntur dum ipsi fines; sunt amores qui regnant, quibus speciales sunt subjecti, et plura quae tanquam necessitates considerandae sunt; accedit ipsa conscientia cujusvis, quae est vinculum proprium et quarundam legum codex, cui inscripta sunt ea quae ipsam mentem cogunt; haec omnia sunt necessitates, et ipsi libertati exspatiandi copiam adimunt. Ergo quoad ipsam cogitationem est libertas integra, at vero quoad actum est admodum limitata; sed limitatur ob eam causam, ut vera libertate fruamur, non autem male utamur: summa enim libertas est posse menti suae imperare, ut naturae ordini convenienter vivat, obque hunc finem concessa est; sed quam vesana sit mens humana, et quomodo se ab inferiori domino regi patiatur, id admodum ab experientia constat, tam quod voluntates nostrae legibus cohibendae sint, quam quod etiam ipsi timeamus, ne id quod mentibus nostris insidet, per aliquam notam in actione, loquela, vultu erumpat; summa ars consistit in occultanda sua mente.

14. Libertas vero arbitrandi, unde liberum arbitrium, coincidit cum libertate judicandi, proprie significat statum illum, quando mens inter duo bona, aut binos amores libratur, et quando possit utrumque determinare in actum, atque eligat id quod melius ei apparet; hunc ob finem est datus intellectus, et ei desponsata est libertas, tametsi sint, qui etiam contra veritates vel meliorem conscientiam arbitrantur; id fit quando amores animi praevalent, quod imbecillitati humanae aliquando attribuitur, et per hunc libertatis abusum conscientiam nostram laedimus.

Ergo ipsa libertas seu facultas libere cogitandi consistit so-

lum in illa facultate mentis induendi status mutationes quascunque velit, et ab uno statu in alterum percurrendi, unaquaevis enim status mutatio producit unam ideam, sive simplicem sive compositam; nam tot status mutationes dantur quot usque varietates cogitationum et judiciorum: haec dicta sunt de ipsa essentia libertatis.

15. Sed supra observatum est, quod perpetuo sint amores, qui intellectum nostrum regunt, et quod neque existere nec subsistere queat aliqua cogitatio absque amore quodam comite, qui incendit, nam amor est ipsa vita cogitationis; quomodo autem amores operantur in mente, id in sequentibus expendendum venit. Sed ex his videmur posse inducere, si mens nostra rationalis a perpetuis quibusdam amoribus, desideriis et finibus regatur, quod nulla sit libertas, vel modo talis, ut sit subjecta alicui amori, quae imperat; qua ratione in singulis videtur esse aliqua necessitas. Id quoque verissimum est, quod quatenus mens a perpetuis desideriis, sine quibus mens nulla foret mens, regatur, non sui juris et arbitrii sit, sed ipsa libertas in eo consistit, quod mens se possit ab uno amore in alterum vertere, amorem boni apparentis et mali rejicere vel amittere, seque dedere amori vere boni, seu quod judicat esse optimum; idcirco libertas in eo non consistit, ut sit absque omni amore, desiderio, fine, tunc enim desineret esse, sed in facultate amplectendi unum, et rejiciendi alterum; et quidem genuina libertas, scilicet quae perfectiori intellectu comitata est, eligendi optimum. Si enim eligitur malum, signum est intellectus perversi, scilicet ab amoribus spuriis imperati, et sic nullius libertatis; de hac licentia ab intellectibus imperfectis praedicatur libertas, seu quod id solum sit libertas, at qualiter de libertate hac judicatur, talis est ipse intellectus; ita potest summa libertas dari, ubi servitium apparet. Ratio est, quod id sit libertas subjectum esse amori boni optimi tanquam domino, nam subordinatio est summe naturalis, unum enim imperare debet, alterum obedire; quod superius, prius et perfectius est, id jura dabit inferiori, posteriori, imperfectiori, hinc si mens universali hujus subordinationis legi se subjicit, tunc liberrima est, sola enim clavum tenere nequit, nam ex se non potest dependere; quare eligere optimum est eligere id ut famuletur perfectiori, seque ab illo

regi patiatur: si enim famulus exsurgit contra dominum, subditus contra regem, miles contra imperatorem, id non est libertas sed licentia, quae universam societatem et integrum exercitum destruit.

16. Sunt in mente rationali diversi amores, qui omnem istam curiam occupant, et in suas partes trahunt, sed has amorum phalanges praetereamus, in distincto rem penetremus, consideremus solum, quod in genere sint amores superiores et amores inferiores, superiores sunt spirituales, inferiores sunt naturales et corporei, hi concentrati in mente rationali pugnare solent, amores superiores quia spirituales sunt perfectiores, inferiores vero sunt imperfectiores, illi constantes, perpetui, hi inconstantes et brevi terminabiles; quod hi amores continuo regnent et mentem inter se dividant, ac dum unus imperat, alter cedat loco et quasi suffocetur, ab experientia admodum est conspicuum; attendamus modo ad nosmet ipsos, quando mens nostra profundissima et diutina meditatione, quae ab amore quodam corporeo accenditur, est occupata, tunc si spiritualia, et puriora velimus in mentem revocare, quod impossibile sit, nisi prius expulsus est amor pristinus cum sua cogitatione, ut si precibus Deum velimus invocare, quod cogitatio nusquam pura queat esse, sed quasi obumbrata et densa caligine obsessa, ut si in puriorem quandam cogitationem seu a natura in spiritum vellemus penetrare, foret tanquam per nubem in solem, qui non prius emergit, quam nube prius dissipata; at vero ut primum hae nebulae discutiuntur, tunc primum jubar quoddam solare emicat. Ita prorsus quando amores corporei et mundi obsident mentem, et dum mens in eo statu permanet, velit in spiritualia penetrare.

17. Ex hac descriptione apparet tanquam hi amores sibi contrarii essent, quia inter se confligunt, seu quod affectiones animi cum amoribus mentis purae perpetuas quasi inimicitias agant; quum nihilominus anima naturam sibi associaverit, quando sibi junxit corpus, et Deus etiam non in hunc finem ut spiritualia cum naturalibus pugnarent, sed foedera jungerent, [ea] condidisse videtur. Sed bene expendendum est, quod animus cum omnibus ejus affectionibus sit corpori dono datus, absque illo nec viveret corpus, nec mens aliqua rationalis existeret, et quod nulla data sit affectio, quae non licita sit, et ab ipso

amore universali qui inest animae scaturiat; sed quod pugnent, est in causa quod amores inferiores in mentis curia imperare velint, et amores istos perfectiores exterminare, et sic regere ipsam animam, quod contra ipsum ordinem naturae foret, scilicet ut id quod in se inconstans et imperfectum est regere velit id quod in se constans et perfectum est; hac ratione universa natura, quia ejus ordo, pessum iret et rueret; tum etiam quia animus ejusque subjecti animi speciales seu affectiones, quia ratione carent, modum nesciant, ruantque quo fert cupido, et sic ad destructionem corporis, et insuper perniciem animae, uti infra confirmatum videbitur, ita in excessum semper ruunt, nec medium usquam tenent; haec est ratio quod mens rationalis intellectu instructa eis praefixa sit, et quod perpetua vivat pugna; anima enim bene novit, quod talis libertas integram suam rempublicam pecularetur, seque e solio deturbaret, quare illa quantum potest collidit, usque dum vel victas det manus, vel triumphet; anima enim ex natura sua repugnat omni vi et insultui, quo destruatur ejus corporis oeconomia, et exstinguantur ejus amores spirituales, seu in tales spirituales mutentur, qui veris contrarii sunt. At vero si amores animi se prorsus subjicerent amoribus animae, tunc nulla foret pugna, sed homo viveret beatissimus; qualiter scilicet in prima sua aurea aetate; seu a prima infantia, sed nec tunc foret aliquis intellectus, qui formari et instrui debet a sensibus et animi sui affectionibus, utque sit liber, debet scire quid bonum et malum, quod nesciret, si singula suo ordine procederent. Ergo singulae passiones sunt totidem calores et excitationes vitae corporeae, et omnes concessae, si serviant et cum temperantia in usum vocentur.

18. Est itaque mens constituta in medio inter amores inferiores et superiores, qui inter se dimicant, et mentem possidere volunt, sic mens est tanquam aequilibrium, et ipse intellectus cum sua libertate tenet trutinam, e qua binae lances pendent, una bilanx est corporis, altera est animae, seu una est animi, altera est mentis purae: in bilancem corpoream influunt perpetuo vires tanquam totidem pondera, et ipsam mentem afficiunt et occupant, per fores enim sensuum a mundo, aque ipso corpore vel sanguine perpetuo insinuantur, ut mens ab iis libera esse nusquam possit, ab illis etiam formata est ut

sit mens, nam per viam sensuum informandi sumus: at vero amores animae vel puri non per viam quandam sensuum sed occultissime se insinuant, nec ad conscientiam nostrae mentis perveniunt, nam ejus purissimis ideis puriores sunt, sed sunt tanquam totidem vires, quae insensibiliter occupant, insederant enim mentem a primo stamine usque ad nativitatem, quamdiu nulla mens rationalis apparuit esse; hinc facile judicatu est, quod amores corporis praevalituri sint, et quod amores animae mente nostra nec concipi queant, quales sunt, nisi per ideam fixam in iis quae sensibilia sunt, cum quibus comparatio institui debet. Ipsa enim anima nos instruere nequit, nihil ejus alligatum est vocibus et exprimi potest loquela, sic sensibiliter in mentem nequit ipsa influere. Ex hac causa sequitur quod mens rationalis aegre queat dono libertatis suae frui, sed quod tanquam captiva a bilance corporea auferatur. Quaeritur ergo qualis sit libertas in corporeis et naturalibus, et qualis in spiritualibus et divinis; et quomodo a libertate naturali in quandam spiritualem perduci queamus.

19. Libertas pure naturalis est nulla, nam libertas absque spirituali non dici potest libertas, praedicari de mente rationali libertas potest, quia se potest determinare a naturali versus spiritualem et vice versa, nisi enim bilanx foret quae attolli et deprimi quiret, nulla foret aequilibratio, proinde nec trutina; est quidem aliqua libratio inter varias affectiones pure naturales, aufert enim quae praedominatur, et ejicitur una succedente altera, sed haec sunt tanquam pondera diversae materiae, et magnitudinis, quae eidem bilanci immittuntur, aeque enim una affectio ac altera deprimit, seu avertit mentem, ne superiora versus elevetur. Libertas itaque in naturalibus seu se ab uno amore in alterum conjicere, non est libertas, sed potius servitus, nam mens quae eligere debet optimum, perpetuo trahitur in bonum apparens vel in malum: libertas enim saeviendi in hostes etiam victos, spoliandi amicos bonis, opipare vivendi, eminentiam super alios affectandi, non est libertas, sed servitus, nam ut dictum se ipsum posse vincere, id est liberum: interim omnis data est menti libertas se a spiritualibus et divinis removere, et totam suam mentem determinare ad amores corporeos; sed ne id agat, provisum est per formas regiminum,

conditas leges, et impositas criminibus seu abusui libertatis poenas; ac insuper innati timores jacturae suae faustitatis terrestris.

20. Libertas vero spiritualis nulla datur in mente rationali; quia mens rationalis nihil de amore aliquo superiore, seu de iis quae supra se sunt, intelligere potest, quod enim superius est, judicare potest de inferioribus, non autem vicissim; nec appercipere potest mens quod sit in aliquo amore spirituali, quia ejus ideam non fovere potest, nisi haec affixa sit alicui naturali, ut per comparationem intelligat qualis sit, proinde non sensibiliter delectari potest quando in illo sit, nisi quod sibi imaginari possit esse quoddam perfectius, constabilius, illimitatius, quoddam quasi infinitum, perpetuum, immortale, non comparabile, respective ad illud quod percipit esse inconstans, limitatum, finitum, finiturum, mortale, et aliquid; sed usque ut se flectere possit ab illis quae aliquid percipiuntur esse, sentiuntur, praesentia sunt, requiritur fides, nam mens ex se percipere nequit quod sit, perit tanquam in abysso quodam quando mens huic immergitur; fides haec est vel intellectualis vel divina, illa per intimam rerum reflexionem et intuitionem comparari potest, sed usque facile exstinguitur, supervenientibus ideis materialibus, divina vero unica est, quae menti non illa percipiendi capaci persuadeat; accedit quando mens rationalis tales ideas nequeat ex se habere, quod nec libertate donata sit induendi istos status, qui amoribus spiritualibus conveniunt.

21. Quaeritur itaque in quanam re consistit libertas, quando nulla sit in pure naturalibus, et nulla in spiritualibus, et quando se nequeat ex se a naturalibus in spiritualia flectere. At si essentiam libertatis humanae penitus expendimus, rimamur, observabimus quod in eo cumprimis consistat, scilicet quod mens nostra possit amores naturales discutere, seu se ab illis abducere, et liberare, ac retinere tantillum quantum corpori sustentando inserviat, omnia enim, foret hominem exuere, seque ipsum vita animali privare; id enim potest mens percipere, quod dum affectionibus his corporeis inescatur, quod nequaquam possit spiritualibus intendere mentem; ergo *libertas prima* in naturalibus in eo consistit, ut abducere mentem queat a corporeis, nec ea plus aesti-

mare quam ut servitia et media [ad] spiritualia, prout universum corpus est modo animae suae organum seu instrumentum, ita animus erit instrumentum mentis spiritualis. *Libertas altera* in eo consistit, quod possit instrui tam a scripturis sacris quam aliorum, tum etiam a propria reflexione quod detur spirituale, et divinum, quod superius sit, et sic fidem quandam intellectualem sibi comparare; qua comparata in similium cogitatione potest mentem suam retinere et pascere; ab hac cogitatione, quando illecebrae corporeae remotae sunt, potest in ideas perduci, quae conveniunt amoribus spiritualibus; qui ex se influunt, quia perpetuo adsunt, et sic quasi vivificantur, ac intellectui mutationes status inducunt, ut tandem aliquo sensu illorum imbui videatur. *Tertia Libertas* in eo consistit, ut praescriptis mediis utatur, quae sacra dicuntur, scilicet ecclesias frequentare, sacramentis uti, Deum adorare, et cumprimis prece implorare numen. Haec omnia relicta sunt mentibus humanis, et haec omnia constituunt libertatem, quae mentibus concessa est, dumque his rite utitur, nusquam deest gratia divina, quin infundat fidem, et amorem, ipsumque illum providentia regat, ut possit amore et zelo spirituali incalescere; *quarta libertas* tunc venit, quod etiam ipse queat his delectari, quoties se a corporeis avertit, hisque se subjicit; quando enim ardet zelo spirituali, tunc intellectus formatur tanquam novus, qui spiritualis vocandus, qui consistit in status mutationibus universalissimis et perfectissimis, quae non sunt sensorii, sed intellectorii puri; tunc etiam cedit animus cum suis affectionibus, nam singula intellectoria sunt partes et singularia quae constituunt animum; cujus si intima essentia purificata sit, etiam communis obsequi tenetur. Sed hic status usque purus nusquam in corpore existere potest. Hic vero status est genuinus libertatis, tunc enim sapit quid summum bonum est, et tunc eligit quod optimum.

22. Hac ratione perficitur mens humana, quae perfectissima est, quando amoribus superioribus recipiendis adaptata est, tunc est quasi purificata, e novo informata, vel etiam renovata, et regenerata, et quasi innocua, qualis fuerat in infantibus, quorum mentes non ab animo quodam sed a mente pura se regi patiuntur, quare in illum statum redigendae sunt men-

12 *

tes in quo fuerant ante formationem per viam sensuum seu posteriorem; uti ipsa corpora redeunt quasi in infantias, ita etiam debent mentes, et quasi oblivisci omnium quae spiritualia exstinguunt, id est nullam operam illis impendere: solum ut prudentes in vita civili, sicuti debita membra, queant vivere: hae mentes fere spirituales ipsum coelum et felicitatem internam dum corpore vivunt, quasi primis pedibus ingrediuntur, amantes resolvi.

23. Ex his jam apparet qualis fuerit libertas hominis perfectissimi seu Adami, scilicet quod intellectu gavisus sit perfectissimo, qui solo amore spirituali incaluerit, in quo animus nondum cum animae ejus spiritu rebellare et pugnare potuit, non enim per viam sensuum fuit mens ejus instructa, nec societas prava, quae illam potuit irritare, nec cognitio alicujus mali illam infestare potuit; mens ejus summe rationalis prorsus subjecta fuit animae, et anima suo Deo, ita liberrima, quia quid optimum novit, quia sensit, mens enim aliis amoribus non fuit adaptata; sic omnis ejus voluntas liberrima fuit, quia ducebatur ad optima; potuit etiam duci ad pejora, alias nulla libertas fuisset praedicabilis, quod etiam experientia docuit; ignorantia mali nihil demit tali libertati, nam non fuisse videtur ignorantia, sed aversatio mali, et quasi contra ejus naturam, sic ut malum cogitationi ejus potuisset inesse, vel influere, sed nulla in voluntate; ita imago Dei vixit, seu omnium amorum spiritualium typus in corpore; ab eo traximus, quod sicut ipse insurgere voluit contra suum numen, et subordinationis leges violare, ita animus noster perpetuo id agitare laboret, et quidem contra amores spirituales animae. Ergo omnium liberrimus est, qui novit malum, potest malum patrare, sed aversatur malum.

24. Liberior est, qui secum vehementius pugnat, et desideria corporea fortius vincit, quam qui nunquam aliquam pugnam iniit, ipse enim libertatis usus et exercitium est seipsum vincere, nec vincere potest cui nullus est hostis: sed haec ex ipsa natura intellectus, cui libertas inest, seu ex causis deducamus; qui enim vehementius insultatur et impugnatur ab amoribus corporeis, id est, a tentationibus, is quidem illos admittit fovetque mente, sed usque ante ipsum actum exstinguit, statumque sui sensorii intellectoriique restituit, desideria enim quae

amoribus puris repugnant, mentis quidem statum mutant, pervertunt et torquent, eoque momento recedunt suffocanturque amores spirituales, nam utriusque statui disconveniunt, amores enim spirituales statum integrum perfectissimumque poscunt, ac imperfectiores fugiunt, quia nihil concors affundunt; at vero si status illi imperfectiores in actum determinantur, tunc illico inducta est natura, ut status ille sponte redeat, vicesque suas alterniet; usu enim adsuescimus unicuique formae et mutationi status, lingua per usum se plicare discit, eademque plicatio redit ad primum ideae similis ortum: musculus non nisi per usum se actioni conformat, nudus autem conatus etiam fortissimus non docet modum motionis, ita etiam in caeteris; intellectus noster seu mutationes status sensorii intellectoriique semper usque ad ultimam senectam excoluntur et condiscunt, nudus conatus nusquam mutationem naturalem status inducit, sed adsuescit potius in pristinum suum relabi; toties etiam spiritualis ille amor animae quodam quasi zelo et calore accenditur, et fortius influit, tanquam agnosceret intellectum suum victorem, et sic singularius suam mentem amare incipit; ita quo fortiores tentationes, post victoriam, eo major laetitia animae, et quasi praemium manet victorem: ex his apparet, quod ad statum mentis conducant opera charitatis, quae, utcunque illis nihil meriti inest, usque mentem imbuunt facultate recipiendi amores spirituales.

25. Hactenus loquutus sum de animabus perfectioribus quibus amores spirituales perfectissimi insunt, sed dantur etiam animae, quarum quidem amores sunt spirituales sed contrarii divinis, scilicet quae amant imperfectiones, ab his quidem influunt quoque amores, sed qui amant statum mentis perversum, unde effectus contrarii resultant, sed de his animabus infra agendum est.

Ultimo disquirendum superest, cur liberum hoc arbitrium mentibus humanis concessum sit, quum hoc ipsum sit, quod genus humanum infelicissimum reddat, et cujus causa infernalis supplicii condemnamur, inde enim omnes reatus suam originem ducunt; absque vero tali libertate potuissemus omnes salvari; sed sic respondendum est, quod summa Dei sapientia id poscat, tum etiam summa providentia id promoveat, et quidem ita ut ne hilum quidem de arbitrio nostro derogari velit, quin potius

permittat homines in nefanda potius facinora ruere, quam ut aliquid arbitrii eorum deroget; id ipsa experientia dictat, usque tamen id, quod unumquemvis ipsa anima et mente scelestum sua maneat poena tam in hac vita quam in futura, id etiam experientia non solum confirmat sed demonstrat. Licet etiam de causis cogitare, id etiam libertati nostrae concessum est, si non sapientiae divinae, nec rationi humanae id confirmare, repugnat; 1ma causa esse videtur, quod absque libertate cogitandi judicandique et agendi nullus existere potuisset intellectus, nec mens nostra conscia potuisset esse boni malique. 2. quod absque libertate nulla potuisset dari virtus, nec vitium, proinde nihil morale, nam mens rationalis est tanquam forma, cujus determinationes essentiales seu partes determinantes sunt virtutes et vitia. 3. quod absque libertate nihil potuisset respici ut nostrum, proinde nihil ut meritum, ipsa necessitas tollit omnem naturam meriti, sic nihil foret propter quod remuneremur, et plecteremur. Absque libero arbitrio nullus favor, nec ipsius numinis; nihil liberius esse debet quam colere numen, seu religio: quae est ratio quod jubeamur credere, amare numen, quod ex nobis agere nequimus, sed usque est aliquid in nobis liberum, per quod concurrimus, hoc solum poscitur. 4. Absque libertate nulla foret societas humana, nulla animorum, mentiumque et morum, imo nec corporum, et nulla diversitas; omnes forent vel aequalissimi vel prorsus contrarii, nec ullius adplicatio mutua cum altero, ita mundus hic humanus nullus foret, nam natura ex omnium aequalitate prorsus exstinguitur, et nulla est, vivit autem in diversitate, et quidem tali, ut per omnes varietates harmonia quaedam existat. 5. Absque libertate nulla foret jucunditas vitae, quae in necessitate omnis perit, quare libertas est delitium humanum. 6. Absque libertate nec foret diversitas animarum, proinde nec exstitura societas coelestis, cujus regiminis forma sit coelestis. Verbo finis creationis non obtineretur, scilicet ipsa societas futura animarum seu coelum. 7. Ergo summae Divinae sapientiae atque necessitati inde fluenti propter finem sapientissimum praevisum et provisum convenit, ut libertas mentibus nostris concederetur, et quod in hac libertate tuenda adque suos fines dirigenda ipsa Providentia Divina perpetuo invigilet et regnet; scilicet in distinguendis

singulis a singulis, ut perfectissima forma societatis coelestis inde resultet.

Voluntas et ejus Libertas et quid respective intellectus.

1. In Psychologicis difficillimum est enodare quid sit voluntas, illam rite ab intellectu distinguere, ejusque partes distincte intueri; voluntas enim non est intellectus, velle enim possumus id quod contra intellectum tendit, id est, contra veritatem intellectam seu conscientiam meliorem, unde ars simulatoria, quae in orbe regnat, et facere possumus cum intellectu, seu ex conscientia veri; ipse enim intellectus scrutatur veritates, voluntas vero fertur in actum tanquam ex quodam amore, saepe non intellecto num vere bonus sit; ideo canon, intelligo meliora et volo pejora.

2. Sed ut sciamus quid voluntas, recurrendum est ad illa quae infra voluntatem sunt, cujus notitiam habemus, ut per comparationem et correspondentiae modum intelligamus quid sit: infra mentem rationalem est animus, et infra intellectum est sensatio quintuplex, seu sensatio communis quae perceptio vocatur; animo tribuuntur affectiones, tum etiam cupiditates; ita menti amores, tum etiam voluntates, sic ut cupiditas animi correspondeat voluntati in mente rationali, ardor ille cupiditatis in animo, vocatur desiderium in mente, quod cum ipsa voluntate est conjunctum. Quando itaque rite intelligimus, quomodo perceptio se habeat ad animum, etiam intelligimus quomodo intellectus ad mentem rationalem, tum etiam quando intelligimus quomodo cupiditates se habeant ad affectiones et hae ad mentem, etiam intelligmus quomodo voluntates se gerant ad amores et hi ad mentem rationalem.

3. Sicuti jam unaquaevis affectio suum habet animum et quasi genium specialem, ita quilibet amor suam mentem specialem, sic ut ei inesse sua mens dicatur, quot itaque affectiones seu animi speciales, tot etiam sunt cupiditates animi; ita quot sunt amores seu mentes speciales, tot sunt voluntates mentis: in caeteris similis parallelismus occurrit, adeo ut, modo transmutentur voces, occurrant illa quae menti propria sunt.

4. Ex his fluunt tanquam synonyma, voluntas, mens, intentio, inclinatio, scilicet quum dicitur, quod haec tua mens sit, tua voluntas, tua intentio, et sic porro; non dicitur, quod haec tuus intellectus sit, nisi vix in iis rebus quae intellectus operationibus immediate subjecta sunt.

Ut autem percipiamus quid voluntas, debemus illam primum separare ab intellectu, seu intellectum abstracte a voluntate considerare: *intellectus in se spectatus* pro objecto habet veritatem, ipsamque veritatis essentiam, naturam, qualitatem, imo etiam veritatum nexum inter se, pariter etiam veritates in ipsis bonis, ut in harmoniis, affectionibus animi, amoribus mentis rationalis, verbo extendit se ad omnia in universo, quorum naturam explorare vult; versatur comprimis in explorandis causis ab effectibus, vel effectibus a causis, quae scientia vocatur *dialectica*, ut et *topica;* ipsa methodus a priori seu principiis *synthetica*, at a posterioribus *analytica*. Ipsa methodus explorandi causas, est similis ac ipsa methodus qua nascitur intellectus, scilicet est analytica; quando consummatus est intellectus, tunc progredi potest via synthetica, scilicet a principiis, quae totidem sunt veritates, at vero via synthetica in se, est mentis, comprimis purae, tum est animae et angelorum, qui rident nostrum intellectum, nam id absque scientia et demonstratione, ex se sciunt; ipse enim intellectus subest menti, natura; sed mens rationalis subesse debet intellectui. Altera pars intellectus est *logica* rationalis, concludere scilicet ex antecedentibus et consequentibus.

5. Mens vero absque intellectu spectata, non est rationalis, sed omnis est naturalis et sua sponte et ex se fertur: est enim amor qui est operatio animae et spiritualis, qui regit mentem, amores sunt vel animi vel mentis purae, hi regunt mentem rationalem, quae nullo amore proprio seu ex se gaudet. Mens semper finem habet, qui sit etiam principium, et qui sit in mediis, et ubique regnat, sic ut in tota serie mediorum sit finis idem; in mente spectatur, et quidem ita ut praesens sit sive sit in praeteritis sive in futuro: sed mens naturaliter secum fert omnia media quae ad finem illum ducunt, natura enim formata est, ut pro mediis inserviat menti dum progrediuntur fines; ipsum naturale est quod media distent tempore et spatio, at

vero non finis, qui est idem; et quia finis est idem in principiis, mediis, et ultimo, sequitur quod amor sit finis, illeque desideretur, et promoveatur per effectus, sic ut mente respiciamus eundem amorem, ejusque complementum et finem ultimum, qui fuit in principiis; unde nascitur voluptas corporis, quando in corpus descendit. Ascendere etiam potest, ergo sunt amores animi, vel amores animae, qui mentem nostram regunt, et ut fines respiciuntur. Intellectus in se spectatus non respicit aliquem finem nisi in sua mente, scilicet dum cogitat propter quam causam id scire volo, et animadvertit quod latens causa sit, quae illum regit, quae vocatur amor sciendi veritates, qui terminatur in aliquo amore suae mentis. Ex his etiam apparet, quod intellectus sit in se causa instrumentalis mentis superioris, sed debet esse causa principalis in regendo animo, ejusque affectionibus, et sic porro.

6. Jam expendamus quid sit mens rationalis, nam ut rationalis sit, non debet naturaliter a fine ad finem ferri, seu sua sponte, quod instinctus vocatur; de qua mente nulla praedicari [potest] voluntas seu velle et nolle, sed involuntarium, quae scilicet absque conscientia fertur ad suos fines. Mens itaque rationalis, quae est tanquam visus internus, intellectum sibi debet associare, scilicet non modo intueri amorum suorum veritates, seu fines contemplatos quales in se sunt, sed etiam intueri debet media qualia sunt, et quo ordine disponenda, ut mens consequatur fines, ad quae requiritur cognitio ex posteriori: quando mens sibi intellectum adsociat, tunc vocatur rationalis et humana.

7. Ratio quod mens sibi intellectum debeat associare, est quia mens naturaliter fertur ad fines qui sunt pure animales seu animi, id est voluptates corporeas et mundanas, ut ergo ab his abducatur, et feratur ad fines superiores, necessum est ut intellectus se jungat. Intellectus enim principalis esse debet in regendis cupiditatibus animi, sed instrumentalis in amoribus et desideriis mentis superioris; quando enim mens inclinat ad affectiones corporis, tunc activissimus debet esse, at vero dum NB. ad amores spirituales, erit passivus, nam illi naturaliter et ex se disponunt media ad finem, omnia enim tunc provido ordine

fluunt, absque intellectu, modo vacet in rejiciendis moderandisque animi sui affectionibus.

8. Mens itaque intuetur fines praesentes in futuris, consequenter etiam omnes fines intermedios, qui unam seriem seu catenam constituunt, finis enim ultimus, seu potius ultimum non datur absque successione mediorum in natura, nec promoveri potest, absque natura, cui quasi inhaeret, dum mens effectum illum intuetur: quod mens in se complectatur fines medios, et natura sponte consequatur, tanquam instrumentum, id apparet a singulis brutorum animalium admirandis instinctibus; aranea enim suam telam artificiosissime fabricat, sub imbrice nectit, in medio se ponit et capit escam, involvitque filis: apes cellas suas stipant, implentque melle pro hyeme; excludunt ova, reginae se subjiciunt, colonias mittunt, fucos perimunt: volucres suos nidos affabre condunt: omnes tanquam ex intellectu perfectissimo sciunt omnem naturam, scientiam et artem, mathesin, pneumaticam, anatomicam; nos regimur etiam a plurimis spontaneis, tota oeconomia naturali, chymia, physica, mechanica, imperat mens singulis organis et universae suae naturae, et intellectus noster post tot saeculorum scrutationes nec detegere potest, quomodo agat, ipsum cerebrum hodie penitus latuit; ita quando mens nostra rationalis per voluntatem agat, ita ignoramus, ut ne quidem sciamus quid vere voluntas, et quomodo agat.

9. Ita amores mentis superioris seu purae non egent intellectu nostro ad consequendos fines, sed fines naturaliter sequuntur mentis amorem, quando amor purus sit, modo intellectus id efficere possit, ut mens quiescat in determinandis finibus, qui sunt amores pure corporei, amores enim corporis si sunt causae instrumentales mentis superioris, tunc naturali ordine fluunt: etiam interesse debet intellectus in promovendis finibus superioribus, active, sed aliter quatenus societas est, quae tot diversis cupiditatibus fertur, scilicet ut abstineat ab iis quibus seducatur, caetera providentiae sunt, quae latenter per mentem nostram, quae influit in actiones, operatur: *mentem puram bonam sequuntur omnia ex se et per providentiam ad ejus felicitatem immortalem. Mentem puram malam sequuntur omnia ex se et per providentiam ad ejus infelicitatem:* sed

pura mala non datur in mente rationali, tunc enim relicta est suo corpori et animo, quos mens amat. Sed redeamus ad voluntatem.

10. Voluntas in genere significat mentem; in specie aliquam mentem specialem seu amorem determinatum; et quia mens in se complectitur fines medios omnes, tum etiam pervidet quid obstat, et quid non obstat, ut finem consequatur; quare mens rationalis ex intellectu suo haurit media, ac illa disponit ordine naturali, quoque dispositius, eo mens perfectior et melior; in his sunt totidem partes mentis quot sunt intellectus, scilicet cogitatio, judicatio, et conclusio: *cogitat* mens dum volvit et versat media, ac interea mens fine intuetur finem, quo tendit, *judicat,* quum media in verum ordinem disponit, in quibus scilicet fines sponte sua consequuturos contemplatur; tandem *concludit* seu *vult*, haec conclusio vocatur *voluntas;* nam tunc voluntati tanquam aequationi insunt omnia ista, quae prius cogitationi, sic possidet voluntas in se omnia essentialia actionis, tanquam conatus omnia essentialia motus: haec conclusio diversa est a conclusione intellectuali, cui non voluntas inest, finis enim non est agendi, sed est sciendi, quid verum sit, et sic instruendi mentes, quos fines amare, velle et fugere debeat. Ita intellectus noster proponere potest fines, sed Deus providet.

11. Mens itaque cum sua cogitatione et judicatione mediorum semper adest in voluntate, ac ipsam actionem in voluntate contemplatur ut praesentem; sed quia obstantia et resistentia etiam simul intuetur, partim ex suo intellectu et partim ex se naturaliter, hinc voluntas determinari in actum nequit, nisi ablatis resistentiis, prorsus ut conatus, qui semper in malum nititur, et erumpit ex solis ablatis resistentiis.

12. Quot itaque sunt fines, tot sunt voluntates, ipsi etiam fines intermedii sunt voluntates, ita actio est perpetua voluntas, et cessante voluntate cessat actio rationalis, et qualis voluntas, talis actio in homine, at qualis actio, talis voluntas in brutis, quae est eadem cum cupiditate illorum animi, quae tamen regitur a mente quadam pura naturali, non autem a spirituali.

13. Voluntas semper expandere vult sua sensoria interna, uti conatus semper vult se expandere, sicut in atmosphaeris compressis et aequilibratis a vicinis, vel etiam in tendinibus,

sed coërcetur a vicinis, seu totidem finibus intermediis quibus involvitur, quae resistunt, at illi si non resistunt, aufertur illico voluntas in apertam actionem: sic voluntas adjuncta est conatui, et actio motui, ut spirituale suo naturali, aut finis suo effectui. Quare non solum est correspondentia, sed etiam realis copulatio, sic voluntas vocari potest conatus rationalis, accedente enim vita ad naturam, fit illud quod animale audit.

14. Mens dum est in sua voluntate, est tunc limitata et particulatim vel speciatim determinata, et est tunc praesens in certis fibris corporis, quae scilicet ad ejus actionem, quam intuetur, pertinent; consequenter est determinata in certis sensoriolis internis seu glandulis corticalibus quibus fibrae motrices correspondent, cumprimis in cerebro, ex quibus actionem corporis tanquam praesentem jam dum contemplatur, in ipsis vero resistentiis quae insunt et quasi circumstant voluntatem, contemplatur moram, tempus scilicet et spatium, quia naturam, per quam promotura est fines; ita mentis rationalis est ipsas remoras, gradus et momenta naturae, seu ejus celeritates et distantias, ut tempora et spatia respicere; sic tempori correspondet celeritas temporis, et spatio distantia loci, ut et successio motui.

15. Ergo ut voluntas procedat in actum, particulatim et membratim resolvenda est aequatio, quae inest voluntati; sicuti dum analysin quandam algebraicam seu ejus aequationem volumus resolvere in suas rationes et analogias per numeros seu arithmetice, vel per figuras seu geometrice.

16. Quando itaque voluntas erumpit in actum, tunc dicitur hic actus determinatio, et sic determinatur forma in actionibus similis quae fuerat in voluntate. Ipsa determinatio fit per expansiones et constrictiones glandularum corticalium, per quas spiritus animalis expellitur in fibras nerveas, et ab his in motrices corporis, unde talis actio existit, qualis in voluntate fuit; potestque sic mens unam fibram post alteram, et unum musculum post alterum, quacunque velit celeritate percurrere; ipsum enim systema musculosum ita articulatum et formatum est, ut singulis mentis rationalis determinationibus correspondere possit.

17. Voluntas etiam semel assuefacta sponte sua recurrit,

quia mens suas mutationes status per usum et cultum acquirit, et sic sponte ad similem ideam revertitur, omnia etiam in via per eundem usum ita sunt naturalia facta, ut tanquam causae instrumentales famulentur suae principali.

18. Cum itaque voluntas sit conatus rationalis, et secum hanc naturam fert, quod sensoriola expandere velit, sed determinate ad actionis formam, quaeritur quomodo id physice peragatur in sensorio communi, seu qualis sit mutatio status in sensorio, quando mens est in sua voluntate; non est qualis est in ideis sui intellectus, quae sunt totidem mutationes status; at vero in voluntate ejusque amoribus et desideriis prorsus aliter, scilicet in determinationibus certorum sensoriorum, quae vult expandere, et actiones suas producere, has scilicet debilius, has autem fortius, exinde existit forma virium, quae similis est formae modorum, seu modificationibus, in meris conatibus expandendi suas glandulas consistens, ita potest voluntas simul ut et separatim ab intellectus mutationibus existere et subsistere: ita videtur causa physica voluntatis intelligenda esse.

19. At vero quod Libertatem attinet, quae vulgo voluntati adscribitur, id trahit originem ex eo, quod dicamus nos velle posse et non velle, hoc determinare in actum, et non determinare, velle contra meliorem conscientiam seu persuasionem intellectus, ita simulare, fallere, et dolos nectere; sed tunc accipitur causa proxima actionis pro remota, ut solet in singulis aliis rebus fieri; quae est ratio quod voluntas communiter accipiatur pro intentione, et pro ipsa mente; mens enim dum de mediis cogitat et judicat, tunc potest illa variare, alia eligere, mutare suam mentem, imo etiam fines, sed hoc beneficio intellectus, quem potest consulere, sic ut in ipsa cogitatione sit mens et intellectus plerumque conjuncti, at postmodum separantur, prout amor et voluntas, qualis mentis est cupiditas, aufert; sic potest mens alia media et alios fines suae voluntati ut concluso inferre, ipsos etiam illatos mutare, multiplicare, dividere, subtrahere, imo totam illam voluntatem tollere, et novam substituere, prout animadvertit successum; hac ratione quando mens se associat intellectui, tunc libertas de illa praedicari potest, si non tunc aufertur a suis amoribus, estque nulla libertas; hac ratione de voluntate praedicabilis est libertas,

nam mens judicare potest omnem progressum mediorum, quando, quomodo, quantum in actum determinanda sint.

20. At vero si libertatem hanc penitius intuemur, non videtur esse separata a libertate intellectus seu a libero arbitrio, sed cum illo copulata; absque libertate intellectus, nulla foret libertas mentis; sed *libertas mentis unice in eo consistit*, *quod possit obedire et non obedire suo intellectui.*

Interim voluntas datur universalis, quae a singularissimis voluntatibus conflata est, quae subsunt. Datur voluntas communis, quae componitur a voluntatibus aliis tanquam partibus, tunc dicitur haec voluntas mens; datur voluntas generalis, specialis, individua, sic ut in genera et species queat dividi: estque una voluntas alteri subordinata, et cum aliis coordinata; prorsus sicuti prius de intellectu est praedicatum. Nam quot media, tot fines intermedii, et tot voluntates. *Verbo omnis voluntas respicit effectum in quo sit finis, proinde futurum eventum.*

Animae nulla libertas et nulla voluntas, quamdiu permanet in suo corpore, relicta est, non enim ex praevia aliqua deliberatione agit, nam omnis scientia et omnis intellectus ei connatus est, et est ipsa scientia et intelligentia pura, sic non consulere debet aliquem intellectum seque cum illo consociare, quia ex natura cum illo consociata et conjunctissima est; ex sua natura tunc influit in sphaeram mentis rationalis, ejusque operationes sunt totidem amores spirituales, qui accenduntur quando removentur amores corporis et mundi, contra vero frigescunt. Anima etiam tenetur agere secundum mentis rationalis voluntatem, nam mens rationalis ex se actionem producere nequit, sed id erit animae ut causae principalis, idque ex necessitate, nisi enim condescenderet, integra machina corporea pessum et cassum iret, ac ipsa sensoria rumperentur; sed licet sit contra ejus naturam sive sit cum illa, consentire debet ad actionem, et sic mentem suam vel amare, vel odisse; quae est ratio quod nullus statum ipsius animae resciat quam ipse Deus.

Discursus.

Discursus seu idearum intellectualium explicatio per ideas materiales, quae totidem sunt voces, unde loquela et sermo,

non fit per influxum sed per correspondentiam, sicuti auditus quando transit in visum: ita etiam totidem mutationes status sensorii formantur, quibus singulis correspondent vires seu expansiones corticalium, quae ipsis linguae musculis imperant: haec correspondentia fit per usum et cultum, nam sive idea mentis ita pronuntianda sit, sive aliter, usque tamen correspondet.

Ipsa vero actio linguae, non potest peragi absque voluntate, nam principium actionum est voluntas, uti principium motus est conatus; ergo in voluntatem transferri debet a cogitatione, quae est communis operatio tam intellectus quam mentis, sic integra cogitatio quasi infertur in conclusionem, quae tunc coincidit cum voluntate.

Sed usque apparet in omni discursu, quam distinctus sit intellectus et quam distincta sit mens; loquela enim vel sermo est intellectus loquens; per connexionem idearum materialium, seu vocum, earumque diversas dispositiones, conjunctiones, verba, activa, passiva, simplicia, composita, quae partim occultae qualitates sunt, producit formam, quae a mente rationali potest intelligi, et sic elevari a sphaera idearum inferiorum in sphaeram superiorum, ubi mens sensum quendam interiorem, quae non apparet qualis sit, nisi ex ipsa connexione, captat, et sic intelligit. *Mens* vero adest cum suis amoribus, et ipsum sermonem excitat, et quasi vivificat, non solum sonum, sed etiam voces ardentiores subministrat: insuper etiam in gestus, vultus, formas actionum erumpit, quae mentis istius imagines sint; sic ex ipsa loquela liquido apparere solet, qualis latet animus, utcunque simulatur, nam accendi solet ipsa cogitatione et loquela diutius in eodem subjecto morante.

Ex discursu apparere potest, qualis sit communicatio intellectus et mentis, et cumprimis quid menti et intellectui inest naturale, et quid spontaneum: sed haec materies est admodum prolixa.

Haec parum excogitata sunt.

Prudentia humana.

Prudentia humana, quae alias vocatur providentia mentis

rationalis, consistit praecipue in excogitandis ordinandisque mediis ad finem bonum, ut ipse finis tanquam sponte consequatur, ad imitamen naturae, seu quod dispositio et ordinatio mediorum sit tanquam naturalis, nec videatur ab intellectu quodam praevio proficisci, hoc praesupponit intellectum subactum et perfectiorem, tum etiam mentem, quae cum tali intellectu concordat, nec finis intentionem prodit: major est prudentia quo melior finis, nam quod prudentia audiat, supponit bonum, ad minimum in intellectu verum seu vere bonum. Ut prudentia summa sit, requiritur ut respiciatur finis optimus, ut conservatio societatis, patriae, religionis, gloriae Divinae, et similia, tunc quando homo proponit, Deus disponit, seu providentia Divina cum providentia humana concurrit: mens in hoc casu nullum finem respicit nisi ut intermedium, nec usque ultimum, nisi in ultimo est qui est primus; qui ad eum collimat, et sic respicit fines omnes ut intermedios, ejus prudentia non requiritur activa ex se, sed activa redditur ex amore superiore; et se media ex se praesentant.

Prudentia requiritur, quatenus mentes humanae tam diversissimae sint, quaedam ad mala, quaedam vero ad bona inclinatae, absque his nullae sunt mediae promoventes finem; est enim quilibet homo causa instrumentalis et medium alicujus finis superioris; ad finem bonum consequendum etiam malae mentes usui queunt esse, saepe diabolus ut promoveat finem optimum, ut Juda inspiratus Messiam prodat, sed hoc non jussu sed consensu factum est, nam infinita media ad unum finem dantur, sic ut mala media non opus sit quaerere, sed solum consensu admittere.

Prudentia humana se extendit ad omnes actiones in vita civili, cumprimis in societate mala, seu inter malos, tam in se tuendo, quam ad promovenda illa quae saluti sunt societati; sed prudentia est tam civilis, quam moralis, etiam universalis quam singularis, ejusque genera et species dantur.

Simulatio et dissimulatio.

Sive vera sint sive falsa simulanda et dissimulanda sunt, prorsus secundum genium saeculi, inclinationes humanas, et

circumstantias, quae omnia sunt prudentiae momenta; sunt etiam malitiae et astutiae, quando mentes ad malum inclinant: ita simulatio est virtus, et est vitium, est enim medium ut obtineatur finis, qualis itaque est finis, tale respiciendum sit medium, nam ex voluntate respiciuntur acta; etiam summae charitates, amores, benevolentiae, sunt malae, si decipiendi gratia simulantur; ita in reliquis.

Simulatio et dissimulatio est semper forma mentis externa, proinde corporis, manente forma interna, quae occulitur; *dissimulatio vitium* est, si mentimur externe virtutes, ac induimus mentem amore perfectissimo plenam, ut finem seu amorem imperfectiorem obtineamus, ut si mentiamur amicum, quando mens vindictae cupida sit, misericordiam quando inmisericors; pietatem quando mens impia est; eo semper majus est vitium, quo meliores amores repraesentantur, tales sunt histriones mundi, et veri comoedi in theatro orbis. *Simulatio et dissimulatio* virtus est, si fines bonos occulimus, dum per media prudentiae tanquam sponte fluant; imo etiam ut inter malos mentiamur externe malos, usque tamen ut non ex formae intimis profluat, et in mentem aliorum per proprias inclinationes nos insinuemus, dum tandem amici facti, vel fide dignissimi fratres, tunc flecti potest animus. Sed haec ars innumeris membranis non describi potest, sunt enim artes innumerae, et nusquam una alteri similis.

Id observandum est, quod nulla affectio animi sit, quae non suum vultum in corpore, ejusque facie, actionibus, gestu, loquela repraesentet, tum etiam in ipsis oculis; ars simulatoria cumprimis in eo consistit, ut dissentiant vultus et formae externae ab internis, et induamus vultum, qui contrariae affectioni convenit, tum etiam ex intellectu depromamus rationes quae confirment, ut credatur vultus genuinus.

Ex his sequitur, quod intellectui data sit potestas et jus imperandi voluntati mentis, non autem ipsi menti, mens enim in voluntate universaliter regnat, sed intellectus favens ei immittit et connectit media, quae ad finem istum tendunt, quem mens continuo contemplatur; sic ut alia prorsus sit mutatio status idearum intellectualium, et alia voluntatis, ac ita separata sint, ut permanere possit unum quando mutatur alterum,

aliud enim est mutatio status, et aliud concursus expansionis ad certa sensoriola determinatus.

Astutia et malitia.

Astutia est quando fines mali comparantur dolose sub specie boni, et sub vultu honestatis, virtutum, salutis scilicet publicae, religionis, seu sub specie amoris erga alium, et per dolum ut alius cupiditatibus, aut voluntatibus adblandiamur, et id ex conscientia seu cognitione: major etiam astutia si ipse finis, licet in se pravus, obveletur simili specie, et singulis appareat approbandus, per colores intellectuales, ut delineentur res formose: haec est quandoque genius integri saeculi, regnatque inter respublicas et regna, quorum ministri laudantur, quo artificiosius reliquos fallant, permanente tamen aliqua specie honesti; astutia enim nusquam respicit finem aliquem ut ultimum, sed ut medium, nusquam terminabilem. Ipsas artes enumerare prolixum foret, regnat etiam inter societates minores, et ipsos socios, nec amicitia est integra, sub qua utplurimum luditur; maxime dolosus nulli est amicus, nisi sibi, suique amantissimus: haec vocatur hodie prudentia; caetera vero vel sinceritas vel simplicitas.

Malitia autem est quando nulla virtus simulatur, sed absque praesentia veri et honesti mala ex ipsa natura patrat et affectat, ut nisi contra meliorem conscientiam, contra suam ageret; nullo pudore criminis, aut verecundia poenae tangitur. Malus licet conscit tamen odit veritates et virtutes. Astutus non odit virtutes, sed praefert virtuti etiam suos amores pravos; seque sensim ipse fallit, quod vitium suum sit virtus; et argumentis conquisitis conscientiam suam firmat; usus enim et crebra exercitia animum inducunt, et mentis mutationes tanquam naturales reddunt.

Sinceritas.

Sinceritas est contrarium simulationis et dissimulationis, ut quod cogitet dicat; datur in bonis et malis; etiam licet inclinationes malae sint usque laudatur sinceritas, quia indicium est

non melius intellectae veritatis, nec mens decipiendi est; is amicus esse potest omnibus: venit ex principiis quod credat simulationem esse vitium, vel ex principio honesti, vel ex usu, quod non adsueverit vultus transformare. In societates malorum non ut fidus amicus admittitur.

Justitia et aequitas.

Intellectus noster non modo digerit in numerum et cogitat, putatque, sed etiam judicat et concludit, seu in singulis rebus judicio et arbitrio regitur, sed regitur usque intellectus a mente ejusque desideriis, quae efficiunt, ut momenta faventia gratius in judicium insinuentur quam quae repugnant: quum itaque tot judicia, quot mentes, quia tot desideria et voluntates, sequitur quod ipsae inter plura arbitria agere nequeant; ut itaque obtineatur quisnam verius judicat, requiritur justitia, estque inter plures, quando dissentiunt, inque nulla non re quae usquam in cogitationem nostram venit.

Sic in omnibus rebus ubi forma, ordo, leges, ut in se suaque mente, in societate minori et majori, inter regna, sunt perpetuae dissensiones, lites et controversiae, unde jura civilia, naturalia, jurisprudentiae, judices, reges, magistratus et plura. Etiam in scientiis; omnia versantur in dijudicando quid verum, quid bonum, et quisque trahitur in opinionem in quam illum mens sua et animus rapit; sique mens non regeretur ab animo ejusque cupiditatibus, ipse homo ex se sciret quid justum et aequum, et perpetuus regnaret consensus; ipsa ignorantia, persuasio, praesumtio etiam mentes pervertunt, artesque politicae; absque amore sui nec ullo foret opus codice justitiae.

Quum itaque in se verum, in se bonum, etiam in se justum datur; est perfectum in Deo, qui est ipsa veritas, bonitas, justitia; ipsa etiam conscientia dictat justitiam; ne itaque quis contra meliorem suam conscientiam faciat, et injusta, et sic rempublicam seque destruat, is plectitur tum poena publica, quoad corpus aut possessiones, vel etiam per infortunia ex providentia, vel cruciatus conscientiae, vel quoad animam in aeternum, haec omnia refraenant mentem, ne tanquam exlex in flagitia ruat; suntque poenae ad abolitionem et exstirpationem mali.

Aequitas vero correspondet aequilibrio in natura; quando aequilibrium naturale turbatur, fit inordinatus motus, et confunditur quasi natura, et unum alterum inconcinne excitat, agit, destruit, hinc a viribus purioribus et perfectioribus quae insunt, ad aequilibrium suum iterum rediguntur, ita etiam in nostro corpore, et in societate humana, ut componantur dissensiones, vocatur aequum esse, seu tanquam aequiponderare, alteri reddere quod suum, et alteri adimere quod non suum, etc.

Scientiae, Intelligentia, Sapientia.

Scientia est omnium illarum rerum quae aliquo modo insinuantur et tenentur memoria; insinuari solent immediate per viam sensuum cumprimis auditus et visus: per magistros; per libros, qui omnes scientias rerum continent, vel per propriam reflexionem, et novae cujusdam veritatis seu principii exclusiones, quae dicuntur foetus ingenii; ergo is scientificus est, Doctus, Eruditus, qui plures scientias, experientias, historias novit, ac ista memorare potest; is creditur esse intelligens, sed non semper cohaerent. Scientissimus potest esse puerulus, quia integros libros memoria recensendi potens est, exinde tamen non sequitur quod intelligens sit. Scientia est hominibus acquirenda; bestiis vero est connata, sed non reproducitur simili modo. Memoria teneri queunt non solum materialia, sed etiam pure intellectualia, ut philosophica, conclusiones; quarum plures redigi queunt in unam, et sic iterum; ita omnibus impleri memoria.

Intelligentia, est res memoriae in perfectum ordinem, perfectasque formas posse redigere, inde elicere veritates, scrutari occulta et concludere praesentia a praeteritis, quod est, philosophus esse, quasi natus; plures sunt partes philosophiae et physicae, in quas ex rebus memoriae ex proprio intellectu penetrat, ac penetraverat, exque se per reflexiones memoria sua plurimas veritates possidet, is intelligens est; nam in intellectu concurrit intellectorium purum, et quoddam superius naturale, quod ipsas ideas memoriae docet in suas formas rite consociare, scilicet coordinare et subordinare, cui omnis scientia universaliter ex se inest. Absque hoc nullus foret intellectus, scilicet

absque logica, dialectica, topica, grammatica, mechanica, acustica, optica etc. naturali, quoddam etiam jus naturale unicuique etiam connatum est, desunt modo singulares ideae, quas in ordinem redigat: quo aliquis habilior est, et ex se plura ducit, nam immensa est differentia, eo est intelligentior. Sunt perplurimi qui intelligentiam mentiuntur modo, quod plura intellectualia, quae doctrinae complectuntur, ab aliis concepta et exclusa, pro propriis venditent: sunt etiam qui ex defectu scientiae rerum seu ratione ignorantiae nequeunt intelligentes esse, tunc enim errant tanquam in umbris, sed usque dotem ingenii produnt in iis quae sciunt. Intellectus crescit semper cum aetate, et vocatur judicium, vel judicio maturo pollere; discrimina innumera intercedunt, potest enim intelligens esse in una disciplina non in altera, in omnibus universaliter rarum est, licet modo applicatio desit.

Sapientia; sapiens est qui in omnibus respicit finem, eligit optimum, seu libertate sua rite fruitur, et amplectitur amplectenda, et fugit fugienda; sapiens est semper honestus, seu virtutes amat; se tanquam partem considerat, officia sibi injuncta ex debito obit; animum subjugat, mentem puram patitur agere, sapiens mundana et corporea amat propter usum ut media, in caeteris et abusum temnunt: sapiens intelligentiam amat ut medium, at in caeteris, sique in errorem ducit mentem, odit: intelligentia et sapientia raro conjunctae sunt, quatenus intelligentia admodum erronea et imperfecta est, datque rationes menti insaniendi, et cupiditatibus corporis obediendi, sic tollit sapientiam. Sapientissimus est qui proximum ut se ipsum, societatem ut plures se ipsos, et Deum supra se ipsum amat, eoque dirigit suas actiones, quae respiciuntur ut mediae, quantum ab regula, tantum a sapientia recedit; ex directione vitae, non autem a sermone cognoscitur quis sapiens. Rusticus sapientior potest esse summo philosopho; sapientia enim est divina, intelligentia est humana, et vocatur philosophia; saepius accidit, quod una tantum recedat et diminuatur, quantum altera accedit et augetur: non sunt nisi sapientes qui vere amantur ab hominibus sinceris et a Deo, illis etiam providentia Divina aspirat, ut ascendatur; sunt qui natura sapientes sunt, ut qui honesti, et sunt qui usu, tum etiam intellectu, si ab intellectu sapientia

inspirat intelligentiam, intelligentia deinceps sapientiam. Ergo sapientia est mentis, non puri intellectus.

Causae statum intellectus et mentis rationalis mutantes, seu pervertentes et perficientes.

Sunt *Causae connatae*, scilicet quae ab ipso animae statu trahunt originem, tum etiam a formatione in utero materno. Sunt *causae acquisitae*, scilicet quod non excolatur. Sunt *causae animi*, et porro sunt *causae corporis*. Sed mens diversimode afficitur, respective ad scientiam, intelligentiam vel sapientiam.

Causae connatae quae fluunt ab ipsa anima, est quia anima prolis desumitur ab anima parentis, cujus natura in prolem transfertur. Nullus animae status datur statui alterius omnimode similis, ipsa anima struit sibi organismum, ad imaginem sui; sic etiam naturam mentis rationalis seu ejus facultatem format: ideo qualis anima talis naturaliter est mens seu ejus facultas; quae est ratio quod liberi parenti suo animo similes sint, et saepe avus in nepote renascatur: cujusvis anima est forma spiritualis, ipsique mentis ejus amores sunt spirituales, sed in eo consistit differentia, quod una amet quod altera oderit; anima divinae naturae amat societatem coelestem et Deum, anima vero naturae diabolicae, odit societatem coelestem et Deum, ita sunt amores oppositi in ipsa anima, et quoties mens spiritualis influit in sphaeram mentis rationalis, sequitur [quod] amores contrarii insinuentur; ita quidam ad sapientiam, quidam vero ad insaniam nascuntur, sed haec insania non impedit, quin mens dari queat intelligentissima, et reddi scientifica, erudita, docta, adeo ut melius aliis sciat, quid sapientia, licet illam odio habeat. Omnes enim nascuntur ad intelligentiam, non vero omnes ad sapientiam, qui ad sapientiam vocantur electi.

Causae connatae per formationem in utero materno; ipsa anima est parentis, seu ipsa formae humanae determinatio intima, quae postea procreatur seu per modum eminentem concipitur, nam statim a parente immittitur anima cum suo intellectorio puro, in quo procreantur ordine substantiae similes,

atque ad animae usum mater ovo omnem formam externam tradit, suppeditatque quae liquoribus inesse debent; sed quia sensoria matris et embryo admodum stricte communicant, sequitur, quod infans genium matris cum genio parentis mixtum queat induere, in prole enim est anima patris, sed animus utriusque; ex his sequitur, quod secundum animi mutationes accidentales et naturales in matre ipse organismus sensorii interni mutationes subire queat, ut scilicet aptior sit memoria recipiendi res objectas seu sciendi, tum et intelligendi; omnes enim facultates ab ipsa forma propria et nexu cum sociis, superioribus et inferioribus, dependent. Accedit, quod etiam succus maternus, quem embryo imbibit, morbosa aliqua constitutione possit esse affectus. Similiter quod infortunia accedere queant, in ipsa gestatione, ut compressiones, contusiones et similia; similiter in infante jamdum excluso ab alumna seu nutrice; ab ejus lacte, casibus fortuitis, nutricis incuria, malitiaque, haec omnia contribuere possunt, ut mens rationalis debite perfici nequeat, seu quod vitium aliquod naturale trahat; sed quodcunque vitium sic trahit, est externum, non autem internum ipsius animae, quae sic expers redditur potentiae operandi in sua proxima organa, perque ea in remotiora.

Inter causas acquisitas praecipua est quod mens non excolatur, vel quod non rite excolatur; si mens non excolitur, scilicet per scientias, et quidem ordine naturali, ne unum prius occupet mentem, quod postmodum occupare debet, seu quod occupetur mens iis, ad quae non naturaliter inclinat; tum etiam si mens non excitatur amore se perficiendi, amor enim seu ambitio scientia, vel intelligentia et sapientia super alios eminendi praecipue contribuit ad perfectionem mentis, haec ambitio in plerisque etiam excitari potest. Quando mens non excolitur, permanet in statu suae ignorantiae, absque enim ideis memoriae et imaginationis mens rationalis frustra potest suam naturam exserere, et facultatem prodere; est enim mens tanquam artifex qui nescit operari absque instrumentis, intellectus enim est causa principalis, memoria et inde imaginatio est causa instrumentalis: ita in infimo colono, cujus mens nulla scientia est instructa, major principe philosophorum potuisset existere, adeo ut maximae dotes et summa ingenia saepe in obscurissimis la-

teant sepulta; saepe in lucem a singulari providentia protrahuntur. Interea apparent tanquam exarefactae spongiae, amurcae, et sterilis ager, quandoque spinis obsessus.

Sunt causae animi, scilicet quod animus ejus vel naturaliter, vel per consuetudines, vel alio casu, ut et per infortunia, nimias felicitates, morbos corporis, queat aegrotare, cupere non cupienda, mentis suae intellectum adumbrare, non alia velle admittere, [quam] quae animo isti speciali adblandiuntur, sic ipsam non modo intelligentiam, sed etiam sapientiam respuunt, et odio habent: universum credunt quod amori isti convenit. Verbo in quantum animus supra mentem puram in mente nostra rationali vult dominari, in tantum impeditur, ne mens ista perficiatur; amores enim sunt qui distrahunt, et turbant, et aegrotam faciunt mentem; nec solum perturbant, sed ignorantia quadam obumbrant; sicuti solet fastus et superbia, avaritia, amores caeteri viles; unde contemptus scientiarum, intelligentiae et sapientiae: animus etiam inficit spiritus animales et sanguineos, et sua venena late diffundit, nam animus immediate in corporis formam influit, inde excitantur causae corporeae, quae juncta opera mentis vitam destruunt.

Causae corporis sunt plures, uti plerique morbi, qui afficiunt humores, cumprimis sanguinem rubrum et puriorem, seu spiritum animalem; hi morbi innumeri sunt, nam morbi plerique sanguines inquinant; proinde causae omnes morborum sunt causae destructionis mentis; uti alimenta nociva, venenata, potus, omnis intemperantia; sanguis enim vitiatus, etiam animum trahit in partes, consequenter mentem, animus enim naturaliter a suis intellectoriis et forma intellectorii communi pendet, sed externe quoque a statu sanguinis purioris seu spirituum animalium, qui si aegrotant, etiam mens solet insanire, imo delirare, sed usque sanguini sua sanitate restituta, ad se redit, ex quo sequitur, quod mutationes hae status sint externae, non autem internae: quomodo id obtinet, etiam demonstrari potest, per sensoria enim seu glandulas corticales continue perfluit spiritus sanguineus, scilicet a vasis arteriosis in fibras; qualis itaque hic spiritus sanguineus est, ut si nimis calidus, nimis frigidus, nimius, perparcus, justo lentior, fluidior, heterogeneis vel homogeneis mixtus, permaneat in cavitate ista

glandulae, sive non influat, vel non effluat: illico sensorium suas status mutationes nequit percurrere, proinde nihil ex sua memoria producere, sic non imaginari, nec cogitare: praeterea etiam ab heterogeneis tam intus quam extus excitari potest in motus inconcinnos et irregulares, unde deliria; similia accidere solent in febribus ardentibus, in apoplecticis, epilepticis, paralyticis, catalepticis, morbo tarantismi, jactura memoriae, in catarrhis inque aliis; hae causae sunt corporis ordinariae; sunt etiam extraordinariae, quae ipsum cerebrum, et sic sensorium commune, formam scilicet sensorii externam laedunt, destruunt, premunt, diminuunt, ut vulnera inflicta, hydatides, scirrhi inducti, ac innumera similia, quae partim sanari [possunt], partim insanabilia sunt. Quod mentis ratiocinia, seu intellectus humanus, ac una amores, sic mutationes insignes subeant, id experientia quotidiana confirmat.

Ex his causis, quae mentis facultatem executivam imminuunt vel tollunt, judicari potest, quae causae sint quae perficiunt; ex singulis enim recensitis fluit cognitio contrarii: interim id ut summa cura nobis incumbit, ut *mens sana sit in corpore sano*, seu ut ita corpori et animo indulgendum sit, ut semper mens sana permaneat.

Amores animae seu spirituales.

1. Ut sciamus, quales sunt affectiones et amores mentis rationalis, necessum est, ut non solum expendamus affectiones animi, de quibus jamdum est actum, sed etiam amores seu affectiones supereminentes animae; hae enim vocantur superiores, illae autem inferiores; hae spirituales, et illae pure naturales seu corporeae: et quia mens rationalis nullos proprios possideat amores, sed vel a spiritualibus, superioribus, seu animae, vel a corporeis, inferioribus seu animi se regi et distrahi patitur, hinc necessum est ut sciamus, qui et quales sunt amores animae, seu potius mentis nostrae spiritualis; inde enim fluunt virtutes et vitia, quae sunt determinationes essentiales mentis humanae.

2. Omnes amores animae, quae dici queunt affectiones eminentes seu spirituales, sunt universales, et quidem in se singularissime potentia complectuntur omnes affectiones in genere,

quae usquam in specie et in parte dari queunt; ex amore quodam universali tanquam a suo fonte fluunt amores speciales et particulares, tanquam rivi; qui se non possunt manifestare quam in animo et mente, in quibus determinantur ad certa genera aut certas species, quae tamen omnes respiciunt quendam amorem universalem in anima, a quo cum tanquam rivi descendunt, in via conspurcari solent ab imperfectionibus, quae naturae adjunctae sunt, et sic fere nesciuntur, quod a tam puro fonte sint derivati: quod enim animus possit cupere seu amare, id trahit a sua anima, at quod ita non aliter id a sua forma, ut et a nexu cum anima, media mente rationali. Ergo integrae fere scientiae labor est, posse amores particulares sub specialibus, hos sub universalibus, subordinare, seu in suas classes redigere, et perspicere quomodo ab universalibus seu spiritualibus profluant: haec est vera scientia psychologica et pneumatica.

Omnes animae sunt formae pure spirituales, sic omnes mentes earumque amores sunt pure spirituales, sive boni sint sive mali, spiritus enim, licet bonus vel malus, est tamen usque pure spiritus, aut pure mens, atque amores habet pure spirituales id est universales, in quibus continentur principia amorum inferiorum et pure naturalium. Angelus bonus, et angelus malus seu diabolus est pure spiritus, et utriusque amores sunt pure spirituales, sed est differentia quod id, quod bonus spiritus pure amat, ejus contrarium malus pure amat, quod dicitur odit; datur enim purus amor, et purum odium, est purus amor contrarii: ita sunt amores spirituales boni et mali, omnes tamen universales, superiores, animae, perfectissime boni vel mali; sed quia bonum et malum, sicuti verum et falsum, sunt opposita, et in uno subjecto dari potest miscela boni et mali, veri et falsi, propter mixturam illam secundum receptum usum loquendi vocatur id impurum quod non pure bonum est; sive maxime impurum, quod pure malum est, ita amor per eminentiam vocatur amor boni, quamvis etiam sit amor mali, qui ex natura sua conjunctus est cum odio boni. Sed ne confundamus ideas in sequentibus volumus dicere *mentem et amorem pure spiritualem*, non autem *mentem puram seu amorem purum spiritualem;* aegre enim propter ideas acquisitas discernere possumus, quod id impurum sit quod non pure bonum

vel pure verum. Proprie est omne id impurum quod cum imperfectionibus infra se mixtum est; ita mens rationalis humana nusquam est pura.

Amor entis supra se ipsum.

Primus et supremus amor spiritualis seu animae, ac universalissimus, est amor entis supra se ipsum, a quo essentiam duxit et perpetuo ducit, in quo, per quem, et propter quem est et vivit; hic amor est omnium primus, quia ex se nihil existere et subsistere potest, praeter Deum, qui in se existit, et solus est qui est: id quia anima sentit in se, etiam amor ille supremus est ei innatus; et sic est amor ipse divinus in nobis.

Datur etiam amor pure contrarius, etiam spiritualis et supremus, seu purum odium numinis vel entis supra se, hic amor vocatur diabolicus, ex hoc cognoscitur bonus amor qualis sit, et ex bono qualis malus sit, nam dantur infinitae differentiae mediae: hic amor vocatur amor mali, ipsa mens mala, qualis est quarundam animarum: nam nullius anima alteri absolute similis est, nec similis esse debet, ut sit societas animarum, et perfectissima societatis forma. Spiritus malus seu mens diabolica in se quidem sentit, quod ens sit supra se ipsum, a quo essentiam suam duxerit, quod supra se amandum sit, et amor per adorationem testificandus; sed licet agnoscat, tamen indignatur, invidet, et rebellat contra se, ipsam veritatem, quod ita sit, odit; et sic amat se supra illum, unde perpetuum odium insanabile, ut vellet se millies destruere, si ipsum id superius extra se, et in se, quod destrui nequit, simul potuisset destruere; talis mentis conscientia angitur, quando contra meliorem conscientiam nihil agit, et agit quia veritatem intime et ex natura sua odit, quam perpetuo destruere amet. Quaedam etiam mentes rationales hujus mentis spiritualis imagines videntur esse, absit quod talis status sit illorum animae.

Amor socii sicuti sui ipsius.

Amor socii sicuti sui ipsius, seu quod aequalis sit alterius cum amore sui, est etiam amor spiritualis, anima enim aut

mens spiritualis alteram animam et mentem agnoscit sociam, ac unam societatis seu regni divini; id etiam ex natura rei, tum etiam ex amore primo seu eminentissimo omnium fluit.

Ex natura unum seu pars per se est quasi nihil nisi relative ad plures cum quibus sit, inde forma aliqua talium existit, et affectiones formae; nulla datur harmonia nisi plurium unitatum simul, et ex modo quo inter se uniuntur, ita nec felicitas animarum nisi plurium; nec forma, et conjunctio nisi per amorem, per amorem alterius sicuti sui ipsius, quicquid in altero est, communicatur sibi et adpropriatur tanquam suum, inde resultat felicitas omnium multiplicata, quae in unoquovis concentratur.

Ex amore divino: Qui enim amat socium ut se ipsum, non est propter socium, sed propter imaginem sui in illo, et quando amor reciprocus est, propter imaginem illius in se; proinde ut ille istius amoris et felicitatis inde resultantis fiat particeps, ita ut omnium sociorum, qui integram societatem constituunt, harmonia, jucunditatem et felicitatem transcribat in se, et a se, in quo idea totius sic concentrata est, in singulos et sic in omnes, quo felicitas supra felicitatem expressibilem, ac intima, ipsaque divina excitatur; quumque amor iste non sit propter se, nec propter societatem principaliter, sed propter amorem entis supra se, cui per amorem unitur, amat socium per amorem erga illum, cum quo uniri desiderat, quique intime residet, hic amor supereminens seu divinus, qui se ad universam animarum societatem extendit ipsamque illam felicitatem ex suamet essentia, effundit, non potest non illum primum effectum edere, quod amet socium, qui aeque ac ipse amatur a numine; ita non aliter uniri possunt, quam per conjunctum amorem erga illum, qui suo amore utrumque luat; quare ipsa illa conjunctio ex amore resultans unice descendit ab amore superioris communi; qui est omnium commune, universale et proinde singulare vinculum. Amor spiritualis erga socium, eo usque se extendit, ut diabolum non oderit sed id malum, quod ei inest, quod si foret sanabile illud etiam amaret, sed jam ejus solum miseretur. Ergo universalissimus amor spiritualis est entis supra se ipsum; ex hoc descendit amor erga socium, nam amores sociorum singulares colligantur a supremo,

eique sic subsunt; singulares illi singulorum amores simul sumti constituunt illum universalem qui est divinus.

Datur etiam amor contrarius, etiam spiritualis, universalis, seu purum odium alterius, et sui solius amor; hic amor est diabolicus, et consequitur naturaliter ex odio contra superiorem seu Deum; quicquid enim jungit mentes socias, hoc jam disjungit; ipsum enim superiorem infra se dejicere ambiunt, et in se illum dejiciunt, consequenter omnes istos, qui ejus sunt, et qui in ipso sunt, quos adhuc se inferiores existimant, et quorum quasi deum se ostentat, considerat se ut universum, seu omnipotentem, seu qualis in se est Deus, consequenter omnia quae Deo subsunt, ut sibi subjecta; quare non amant socios, nisi in idem consentiant, eodemque spiritu sint, non ex amore, sed ex paritate voluntatis, ut finem consequantur; sed quia nullum odium universale seu superius datur, quo osorum mentes conjungantur, hinc etiam nulla societas regularis, sed armatur unus contra alium, nam odio habent ipsas essentias, amant vero vitia; ita in eodem permanet anima et vita; et sic ruit unus in perniciem alterius, seu unus cruciat alterum; haec fluunt ut pura consequentia: ex his liquet, qualis sit amor intermedius; sunt enim infinitae differentiae inter amorem sociorum et odium sociorum purum.

Amare societatem sicut plures se ipsos.

Amor plurium, societatis, patriae, gentis humanae, non est supra se ipsum, in ratione qua est amor erga Deum, sed est major se ipso in ratione seu proportione arithmetica vel geometrica, fitque per nudam additionem seu multiplicationem; arithmetice, si amor crescat secundum numerum, geometrice si secundum numerum, et societates minores et majores, dum scilicet summae assurgunt: Amor vero supra se elevatur sicuti potentia inferior in superiorem, ut exempli gratia, radix se ad quadratum seu cubum refert, sic ut ipse respective tanquam nilum sit, sed usque aliquid quod sit in numero eorum qui amantur, et qui amare possunt. Ergo amor socii sicuti sui ipsius ponit amoris multiplicationem respective ad societatem plurium. Talis amor crescit omnino ex eadem causa, quo enim universalior,

eo inde mutuo major sensatio amoris in se, et felicitatis inde resultantis: omnia enim fausta in eodem gradu crescunt: sed amor hic, quia spiritualis est, non respicit societatem terrestrem sed coelestem animarum, nec est mentis sed animae, proinde est purus; nam ei veritas, quod ita sit, pura inest.

Amor contrarii seu purum odium etiam simili ratione crescit contra plures, sic ut fiat in ratione et analogia arithmetica et geometrica; contra vero summum numen in ratione duplicata et triplicata; sic ut non necessum sit hoc fusius describere: tale est odium diabolicum: nec amor suae societatis est, verum amor solum mali, quod nusquam intime sociat mentes, quia nihil supra est quod consociat, hinc spirat unus in alterius perniciem aeternam; unus enim alterum numerat inter illos, qui sunt mali, et quia ipsa veritas illis nota convincit, hinc veritas suggerit rationem, quod non amandi sint, sed quod mereantur poenas.

Amor proximus esse amato.

Amor proximus esse Deo, quem amat, est amor maxime spiritualis, inest enim ipsi naturae amoris; hinc quando verus est, non inest eminendi super socios, id est non contrarius est amori erga socium, cum quo vel nihil commune habet, sed ad quem non reflectit, vel si reflectit, ne eminere videatur, se humili et infimo loco ponit; ipse vero Deus est qui exaltat; ita amor proximus esse amato dari potest absque amore eminendi; quare immediate pertinet ad amorem Dei, non vero ad amorem socii sicuti sui ipsius; tunc enim sui amor prorsus evanescit, et subit quasi contemtus sui, quum videt proximum esse Deo, esse usque ab illo infinite distare, et quasi nullum esse; perque illum modo esse aliquid, et tanto major, quanto ei proximior. Quando hic amor purus est, scilicet cum amore erga proximum, tunc est absque omni invidia, si alius ei sit propior, seque superior; tunc enim superiorem eo magis amat, quia Deo, quem etiam ipse amat, est propior. At vero si non unice respicit amorem erga Deum, sed etiam sui felicitatem, eminentiam, aut sui amorem, tunc non purus est, sed cum invidia conjunctus: invidia enim semper ponit aliquid sui amoris, eminentiae inter

pares, et semper declarat, quod tantum absit ab amore erga Deum.

Amor vero a Deo, qui est ipse amor, esse remotissimus, est effectus ipsius odii diabolici, cum summa invidia conjunctus, si successum ejus regni et societatis animadvertit; sic exstimulatur ab invidia, ne successu gaudeat, ipsum hoc odium ideo est activissimum. At vero quando successum videt, nec amplius potest resistere, tunc vertitur hoc odium in ultimum gradum invidiae, inque furias, tam contra se ipsum, quam contra socios; in his consistere videtur cruciatus infernalis.

Amor eminendi felicitate, potentia, sapientia.

Amor eminendi felicitate nusquam est amor divinus, tametsi sit spiritualis, quantum enim amat suam felicitatem prae felicitate aliorum, tantum se amat plus quam alios, et sic tantum se a binis istis amoribus fundamentalibus primi removet, fitque infelicior: amare Deum et amare socium propter causam suae felicitatis, est propter se, ita amor non est purus; sed amare Deum propter Deum quia est ipse amor et amare socium propter Deum, quia est ejus amor, et quia est alter sui, est purus amor; at propter effectum amoris principaliter, est contra ipsum ordinem, nam felicitas ex se fluit ut effectus a binis istis amoribus; et purus amor non respicit effectum, sed ipsum amorem abstracte ab effectu.

Amor eminendi potentia super alios est similis ac eminendi felicitate, unum enim involvit alterum, nam in potentia felicitatem semper supponimus; sed hic amor exstantius prodit amorem sui prae alio, qualis semper est amor regnandi, ita adhuc minus est divinus, licet spiritualis.

Amor eminendi sapientia similiter, affectare sapientiam est virtus, at vero per sapientiam eminendi est vitium; ipsa enim sapientia sicuti felicitas et potentia est necessarium consequens amoris Dei supra se ipsum, ita amare felicitatem, potentiam et sapientiam principaliter, est praeferre Deo, seu Deum amare infra se ipsum, seu sicuti se ipsum; quod quidem non diabolicum est, diabolus enim non amat vel vult amare et adorare Deum propter finem, qui est necessario consequens amoris, sed

prorsus odit; quare hic amor videtur esse animarum humanarum post lapsum Adami, sic in nostris animabus, ac statum earum perversum denotat: usque tamen debemus pristinum statum recuperare, et quidem per preces et numinis gratiam, nos ex propriis viribus usque eo possumus eniti.

Amor eminendi cum odio contra Deum et socium conjunctus, est diabolicus, nec dari potest absque amore sui supra caeteros, seu ambitione spuria, avaritia, crudelitate, ac nullis non aliis vitiis seu sceleribus: cumprimis se manifestat in amore potentiae super alios, velle posse supra suum esse, est velle supra hominem esse, et Deo parem; ipsa media ut finem amat, scilicet honorem, divitias, possessiones, quae affectiones ideo crescunt eundo, nec usquam terminantur, nam in infinitum spirant, in gradu summo credunt se aliquid infinitum attingere, sed usque distat tanquam finitum ab infinito, licet universum possederit. Felicitatem, ad quam aspirat, in ipsa potentia, et ab illa in se redundaturam sibi imaginatur, sed quia venit a fonte felicitatis contrario, semper infelicior redditur.

Amor hic sapientiae contrarius est, quia Deo, qui est amor et sapientia, ideo est odium sapientiae, ita etiam odium intelligentiae verae, quae dictat sapientiam, qualis solet esse amor in regnandi cupidis, sapientiam amant non propter sapientiam, sed ut eo melius regnent super mentes humanas, quod aestimant sapientiam; alioquin omnem sapientiam exstinctam cupiissent, et *saecula obscura reditura* optassent.

Amor propagandi societatem coelestem per media naturalia.

Amor propagandi societatem coelestem est spiritualis, scilicet multiplicandi membra societatis, hic amor est major amore sui, quia aequat amorem erga societatem: anima quum novit, quod societas illa propagari nequeat, nisi per media naturalia, scilicet per procreationem, ideo ex se ardet in hoc desiderium, quae est ratio, quod amor venerius sit tam vehemens affectio animi; amor enim spiritualis descendit sic in naturam, ubi media sunt promoventia: ut vero hic amor, licet corporeus factus, etiam remaneat spiritualis in mente, purus est et lau-

dandus, quando pro fine respicit coelum, ejusque societatis incrementa: inest etiam huic amori, amor se ipsum multiplicandi, nam prolem non considerat ut a se separatam seu disjunctam, sed se cum illa, se multiplicatum.

Amor vero contrarius seu destruendi societatis propagationem, non dabilis est, nec in Diabolo, ipse enim societatem suam amat, divinam odit, hinc etiam suae societatis membra discupit, ut praevaleat. Ob hanc causam credo, quod Deus tantam potentiam diabolo dederit, eique tantam adjunxerit societatem, ne amor propagationis cessaret in animabus etiam diabolicis. Amor destructionis seu crudelitas significat odium, quod tam supremum est, ut contra amorem sui rebellet, sic ut etiam in se velit crudelis esse, ipsumque universum exstinctum cupit. Sic dari potest odium in gente humana, quod superat odium diabolicum.

Amor sui corporis.

Amor sui corporis non confundendus est cum amore sui; quisque enim amat suum corpus, quia in nexu est cum anima ob finem propagationis et multiplicationis animae in se, continuo enim concipitur et multiplicatur; ex hoc amore fluit amor se nutriendi, sensus gustus, etiam sibi timendi a circumfluis halitibus, unde sensus olfactus, tum etiam visus, et ipse dolor, quando vis et injuria corpori infertur: Absque hoc amore fines et amores praememorati non obtinerentur; sed quisque suum corpus potest amare, et nihilominus socium ut se ipsum: si enim amat socium ut se ipsum, tunc amat corpus propter amorem sui, et similiter propter amorem erga socium, et suum corpus non odit sed vult perdere pro societate, antequam societas pereat, et infinities propter Deum. Societas enim coelestis est unum corpus, cujus anima est ipse Deus, quia amat Deum et hoc coeleste corpus, se suumque corpus non amat plus quam partem istius societatis, propter id quod possit esse pars constitutiva.

Odium sui corporis dari nequit, nisi quatenus non est in nexu cum sua anima, et non obsequitur, quando mens imperat: ipse amor enim est nexus, odium vero disjunctio; sicuti

artifex non amat instrumentum, si non suis usibus adaptatum sit. Interim quando amamus aliquid supra nos, sive sit amor genuinus sive spurius, ut amor gloriae, famae, vindictae, opum, veneris, tunc illum amorem amori vitae nostrae corporeae praeferimus, sed non odimus; amamus enim corpus quatenus sit medium obtinendi id quod amatur, et per quod mens sentit amorem; quando itaque periclitatur mortem pro amore, non est odium vitae, sed amor ut propterea vivere desideret; at vero quando excidit spe amoris superioris, tunc incidit in odium vivendi corpore, estque desperatio et vesania mentis, nam absque amore illo vivere putat esse non vivere, vel misere vivere, et sic exstinctionem sui amat. Sed talis amor vesanus vel odium sui nusquam est conjunctus cum amoribus genuinis et vere spiritualibus, qualis est amor numinis, socii, propagandi societatem, ideo est, tam contra essentiam amoris veri, quam contra sapientiam, quae conjunctissima sunt.

Amor immortalitatis.

Amor immortalitatis est spiritualis et coincidit cum amore Dei et societatis; vita enim spiritualis est propior esse Deo, qui est ipsa vita, et per quem omnia vivunt; mors autem spiritualis est, ab illo remotior esse, sed illa mors non est exstinctio essentiae, sed est exstinctio et privatio amoris, cui vera vita inest, uti nigredo non est exstinctio luminis, sed est suffocatio, quae non existere potest absque lumine; ex his apparet, quod amor immortalitatis non sit vivendi in aeternum, sed bene et feliciter vivendi, anima enim novit se immortalem futuram, proinde non amat nisi id quod non esse potest; sic ut omnis amor ponat mutationem et possibilitatem contrarii, aliter non est amor, sic perit in eis quae non aliter esse possunt. Amor vero immortalitatis datur earum rerum, quae mortales et immortales esse possunt, sicuti exercitia amoris, charitas, honestas, virtutes, haec omnia spritualiter amantur, ut secum sint immortalia, ipsa enim mens seu anima est eorum subjectum, inesse et non inesse possunt; et quia eadem sunt media merendi gratiam amoris supremi, amat illa ut media sicuti finem, nec propter se, ut emineat inter socios, sed propter amorem numinis, utque in se

sit id quod cum sociis possit communicare, ut eorum arctiorem amorem et nexum sibi conciliet; qua ratione melius sibi societatem, et se societati queat devincire.

Odium immortalitatis etiam datur, sed non absolutum, quamdiu aliqua spes felicitatis superest, sic non in Diabolo, nisi post ultimum judicium; quando omnis spes demta est, et felicitas beatorum illos aperte stringit: sic dabilis est amor immortalitatis in vitiosis et facinorosis, ex amore sui intime resultans; sed amor immortalitatis vitiorum datur, quando vitia ut virtutes aestimantur, seu quando aliquid inest vitio, quod virtutem sapit: praeterea omnis amor immortalitatis perit in vitiis, et secum trahit dubitationem de omni immortalitate, et tandem negationem; quae est effectus impietatis.

Zelus spiritualis.

Zelus est activum et ardor in amoribus supra recensitis, quo non modo excitantur ad amandum, sed etiam promovendum media ut obtineatur finis, sic aliquis zelus spiritualis inest unicuique amori; amor enim in se non est activus nisi in simili gradu ac est passivus; ita absque zelo nihil inest amori quod proprium sit subjecti, in quo est amor; ipse zelus est proprietas animae spiritualis, et exsurgit seu nascitur et excitatur unice a contrariis, sic absque actuali existentia contrarii seu absque diabolo seu animabus contrariis nullus dari potest zelus, sed foret non est; zelus itaque excitatur ad rationem oppugnantiae seu repugnantiae, estque contra oppositum tanquam hostem: sic quo fortior societas diabolica, eo major zelus societatis coelestis, occumberet plane cum exstincto diabolo; ita nulla daretur in mentibus excandescentia, et in animo ira, nisi ex oppositis realiter existentibus: zelus in se est excitatus amor ad gradum superiorem, ut aequet rationem oppositam, quod exstinguere amat.

Zelus datur etiam in odio, et quidem immanis et internecinus, sic est excandescentia et quidem ignis flagrans impurus, ita ira proficiscitur non ex zelo, sed ex odio, et vertitur in furorem; verus vero zelus nusquam in iram degenerat, sed est mitis et clemens ignis, intime non autem extus nitens. Sed ita

comparatum est tam in spiritualibus quam in naturalibus, quod zelus seu dolor justus queat ipsos furores et iras tempestuosas exstinguere, seu una anima bona mille et myriades animarum malarum, seu diabolos; Diabolus enim non ignorat veritatem sed odit, at quia novit etiam quod veritas sit quam odit, non potest non ex intima quadam essentia timere ipsam veritatem, quia se fortior est, ita ad mille diabolos rejiciendos unus angelus bonus satis est, fugiunt enim ad primum ictum, sicuti qui mala conscientia torquentur, est innatus timor, et caeteris est nullus timor, sed solum zelus, qui inest fortitudini.

Amor propagandi regnum et civitatem Dei.

Hic amor est spiritualis, et immediate fluit ex amore Dei et societatis, ac excitatur crescitque zelo ad rationem oppositionis: regnum Dei est ipsa societas animarum coelestis, civitas Dei est animarum terrestris, quae est seminarium coelestium; amor hic propagandi civitatem Dei seu ecclesiam est mens et spiritus nostrae religionis, cui subjecta sunt omnia media religionem istam propagandi.

Amor vero destruendi ecclesiam, est diabolicus, ejusque regnum est in hac terra; et religionis verae contrarium; haec materies prolixissima foret.

Derivatio amorum corporeorum ab amoribus spiritualibus, et concentratio eorum in mente rationali.

Ex amoribus inter se collatis, scilicet spiritualibus et corporeis, satis evidenter apparet, quod amores spirituales sint fontes omnium amorum corporeorum; consequenter quod nullus amor corporeus queat existere, nisi praeexistat amor spiritualis; et quod spiritualis nequeat existere, nisi actualiter sit coelum aut societas animarum beatarum, et infernum seu societas animarum infernarum, unum enim ponit ita alterum, ut si neges fontem, neges etiam rivos, et prorsus debeas negare existentiam alterutrius affectionis corporis seu animi, ex se

enim existere nihil potest, nisi ex quodam principio fluat, cui inest universaliter.

Jam quia amores spirituales sunt fontes amorum corporis seu animi, ita singuli amores corporis tanquam speciales determinationes amoris alicujus spiritualis deduci possunt, sunt enim infinitae varietates affectionum animi, sed omnes subordinari et ordinari queunt, ut sciatur ex quo fonte fluant, sed haec subordinatio non nisi pluribus membranis absolvi et describi potest.

Sed accidere potest, quod amor spiritualis bonus sit in anima, at vero in mente rationali seu in corpore malus; ipse quidem homo naturaliter est bonus, at per usum et consuetudinem est malus, adeo ut mens non sit qualis anima, minus corpus, ideo judicare de anima ejusque amore est solius Dei. Concentrantur enim amores tam animae quam animi in mente rationali, quae sic non solum secundum suas inclinationes naturales sed etiam secundum principia acquisita seu intellecta aufertur; similiter etiam ab auctoritate aliorum, usuque et mulcimine naturali voluptatum corporis in partes trahitur, et sic altera natura inducitur. Universalissimus fons est amor numinis supra se ipsum, et dein amor socii sicuti sui ipsius.

Amor purus seu divinus in se spectatus.

Deus est ipsum Esse spirituale in omnibus, et quatenus spirituale est ipsum esse in corporeis, est Deus ipsum esse in corporeis, sic ut in eo vivamus, simus, moveamur: quatenus jam Deus est ipsum esse in omni spirituali, est Deus ipse amor, qui non potest non inesse isti esse, quod a se est, sed a se distinctum; si enim Deus a spiritu creato essentialiter recedit, est spiritus nullus, quia id quod sit, non est proprium spiritus, sed est ejus a quo creatus est ut sit; ut ex analogia disseramus, corpus non est anima, sed ipsum esse corporis est anima, sic ut si anima recedat, non amplius sit corpus, sed dilabatur: quicquid ita inest alteri, sicut primitivum suo derivativo, necessum est, ut sit cum illo indivulsus nexus quoad existentiam, et subsistentiam, sique nexus, est amor, qui hic cum nexu prorsus coincidit; amor enim facit, ut videatur sui imago in al-

tero, sed secundum gradum derivationis, scilicet imperfectius; in quo itaque est imago alterius, ejus dicitur esse amor, non quod seipsum amet, sed quod in alio amet quod ille velit esse sicuti ipsi, seu ei conjungi, id est, quod amor sit mutuus.

Ex his apparet, quod Deus sit ipse amor, et quod nos tantum divini simus, quantum Deum mutuo amamus, et sic per amorem ei appropinquamus: et quia Deus est ipsa vita, et sapientia, consequitur quod tantum vivimus et sapimus, quantum Deo amore approximamus, hinc amor est ipsum vinculum, vita, sapientia; per amorem et nexum omnia ista nobis insunt perfectius, et quo ab illo removemur, eo omnia ista nobis insunt imperfectius, et quidem ita imperfecte, ut vix dici queant inesse. Ergo ipsissimus seu universalissimus fons omnium amorum est amor numinis erga nos, et amor mutuus noster in numen supra nos, qui talis esse debet, ut infinitus sit, et nostri amor considerandus sit respective ad illum supereminentem amorem, ut finitum ad infinitum; qui non dabilis est in nostris animabus, quae finitae sunt, sed ut usque ad indefinitum exaltetur, id dabile est beneficio amoris Dei erga nos.

Influxus animi ejusque affectionum in corpus, et corporis in animum.

Quod animus noster ita influat in formam nostri corporis, ut quasi in illa exstet, id cuivis est notissimum; ex ipso vultu judicari potest qualis est animus communis, seu qualis inclinatio, aliquando etiam quales sunt animi speciales seu affectiones; et quando affectiones existunt, etiam evidenter se conspicuas et praesentes sistunt non solum in vultu, sed etiam in oculis, in loquela, singulis gestibus et actionibus, sicuti ira, vindicta, fastus, invidia, odium, amor, et caetera, haec recognoscimus dictante fere sola natura, nam qualis sit forma formae substantiali corporis superinducta, non ex regulis artis discimus; ita animus qui est forma communis, cujus affectiones sunt totidem determinationes essentiales, actualiter nobis inscriptus est, estque ipse vultus, in singulis, qui variatur secundum inclinationem in hunc plus quam in illum specialem affectum seu animum, etiam tempore inscribitur, quando nova inclinatio per

usum et consuetudinem acquiritur. Influit etiam animus in sanguinem ipsumque spiritum animalem, ac in singulas formas organorum internorum; nam sanguines prorsus sibi conformes reddit, ira enim excitat bilem, et turbat singulos humores; invidia illos in sanguine retinet, unde livor, fastus expandit organa, erigitque nervos et musculos, sanguinemque serenat, ita tamen circumducit nubes, ut facile obumbretur: ita caeterae affectiones, quae in singulas corporis substantias organicas, et simul in humores influunt.

Ita non negari potest, quin forma formati corporis sit imago animi, et quod animus in prima formatione, scilicet in utero sit forma suae animae, proinde quod corpus quoad suum vultum tam faciei quam actionum sit imago, typus et exemplar mentis animae seu mentis spiritualis, medio animo; nam mens primum format suum animum, scilicet anima suum intellectorium purum, cujus mens communis est quae animus vocatur, et tunc influit in corpus, antequam corpus in suum animum influere potest.

Quo autem modo id fit, hoc etiam demonstrari potest, sed ipsa demonstratio poscit intimam cognitionem organorum sensuum internorum, cognitionem formarum in genere et in specie, et influxus mentis spiritualis in naturam; id enim manifestum est, quod universa natura ita subjecta sit menti spirituali, tanquam causa instrumentalis suae principali, seu instrumentum suo artifici, adeo ut universa natura ad arbitrium mentis ex necessitate quadam et sic sponte accurrat: ita etiam mens imperat corpori formato, ut corpus ejusque musculi omnem morem praestent, tanquam non forent sui juris, sed mentis imperantis. Cum itaque omnes fibrae simplices et proinde compositae scaturiunt ex intellectoriis et sensoriis internis cerebri, et nihil sit in corpore quod formam spectat, quam fibra, quae format, hinc necessum est, ut omnis illa affectio intellectoriorum et sensoriorum cerebri per continuas fibras in universum corpus diffundatur; continuus enim est nexus omnium a suis originibus et principiis.

Animus itaque suae corporis formae ita est inscriptus, seu ita se habet ad corporis formam, sicuti forma interna ad externam; quod forma interna sit, supra est expositum, omnis

forma interna suam propriam externam habet, id est, figuram, quae est limes aut terminus communis determinationum essentialium; sique naturale sit ut interna formae externae correspondeat, necessum est, externus vultus indicet, quid animus velit, vultus enim est forma externa animi, sic tot sunt diversi vultus, quot sunt viscera et partes. Ita sequitur quod animus nequeat non in suum corpus influere; at quod dissimulare queat, et mentiri, id trahitur a mente rationali, quae ipsi animo imperare potest, de qua infra.

Vicissim, quod corporis affectiones, mutationes, et morbi ita soleant influere in animum, ut ejus affectionum statum quoad tempus alterent et transmutent, id etiam experientia confirmat: febris enim sive ardens sive alia, saepe animum in insolitos motus, aegritudines et passiones excitat, saepe animum mitem ad iras excitat, morosum reddit; quod podagra, paralyses, motum capitis efficiant, id ab experientia medica cognitum est, adeo ut ex mutationibus animi formentur signa prognostica et diagnostica, sint phaenomena et symptomata: cystis fellea a causa quadam excitata, aut bile extra vasculo, obstructis meatibus minoribus, majoribusque ardorem et ignem animi excitat; laesio capitis et cerebri similiter: imo morbi saepe ita medentur furoribus animi, ut sint ejus medicinae, sceleratissimus saepe reducitur in viam virtutis per corporis sui cruciatus, et plura. Animus etiam mutatur ex singulis sensibus, sicut visus, olfactus et in laetitiam, amores etc. [fertur.] Causa admodum evidens est ex cognita essentia et origine animi; sanguis enim ruber semper dissolvendus transit in fibras medio cortice, unaquaevis glandula corticalis est sensoriolum internum, quodlibet tale sua intellectoria continet, ex intellectoriis simul sumtis, eorum scilicet affectionibus, exsurgit animus; quando sanguis morbo quodam infectus est, et similiter sanguis purior est affectus, dum transfluit haec sensoria, ipsis status mutationem inducit, sic ut animus nequeat affici secundum influxum naturalem, ipsa enim correspondentia secundum statum hunc inductum variatur: qualis itaque est effectus naturalis sequens ex suis causis seu principiis, et qualis itaque est sanguis naturaliter secundum suum animum, talis utique esse nequit;

si non conspiret sanguis, sed alius omnino esse debet, mutato sanguine.

Sed quaeritur, num ipsum intellectorium seu ipsa intellectoria ex tali mutatione a corpore oriunda radicitus seu penitus mutetur, vel num tantum externe seu superficialiter, sic ut idem nihilominus animus remaneat, qui post sanguinis crisin et sanitatem redit: id quidem experientia docet, nam similis animus post morbos solet reverti, ac fuit prius, sic ut mutatio talis sit modo superficialis, nec formam ejus internam variet: et rarissima sunt exempla, quod a causis corporeis animus radicitus sit mutatus; naturam licet furca expellas, tamen usque recurrit.

Sed per morbos et similes casus non potest nisi animi forma communis seu externa mutari, non autem interna; mutatur enim solum status sensoriorum, scilicet quod sensoria interna hos aut illos status percurrere nequeant, sed cogantur alios induere, animus non potest operari nisi secundum status sensoriorum indutos, animus enim sibi format status sensoriorum; hinc remanet nihilominus status e forma animi interna, reditque quando mutatio peracta est, seu post morbos.

At vero ut status animi seu intellectoriorum mutetur, necessum est ut id fiat per mentem rationalem, adeo ut illa per morbos, infortunia et similes casus principia saniora capiat, et sic istas mutationes status expellat, aliasque induat, quae amoribus purioribus conveniant, ergo animus humanus nequaquam mutari potest, nisi media mente rationali.

Influxus mentis rationalis in animum, et medio animo in corpus et animi in mentem rationalem.

Quod animus influat in mentem rationalem, id luce clarius est ab experientia, nam mens nostra rationalis possidetur quasi integre ab affectionibus animi, cupimus enim quod animus cupit, et ruimus tanquam caeci aut absque intellectu in ejus concupiscentias; causa a priori etiam patescit, nam intellectoria interna sunt quae simul sumta animum constituunt, quorum tamen formae internae correspondere debet forma externa; forma externa est cerebrum seu sensorium commune: qualis

itaque est animi affectio, talis etiam est status sensorii; nam status sensorii illam formam induit, quae convenit affectionibus animi; hac forma permanente non potest aliud insinuari tanquam gratum, harmonicum menti, nisi quod isti statui convenit, universalis status includit et continet omnes speciales et individuos, formato universali tunc speciales ut harmonici influunt: intellectoria sunt, quae status mutationem amoribus animi convenienter formant; ita influit animus in statum mentis; animus communis est consensus omnium intellectoriorum, secundum influxum illum a sensibus et sanguine, quae communem et externam formant [et] movent, cui correspondet forma interna.

Quando itaque mens rationalis, consulto intellectu, permanet in statu animi, qui est omnium intellectoriorum, tunc occupatur caece ab iis quae influunt, at quando dispellit illa, et respuit animi affectiones, vel refraenat, tunc induere potest status perfectiores; hae mutationes inferri possunt menti rationali per morbos, tum per influxum perque correspondentiam; *per influxum* scilicet quod morbi et diversi casus externi sensorium ita mutent, ut hos status potius quam alios inducere queat, sed sunt status intellectus; per *correspondentiam*, quod mens animadvertat in infortuniis et morbis, quod singulae istae passiones animi, uti vindicta, ira, invidia, odia, destruant mentem; sic pietate et virtutibus imbuitur, ideo tunc ipsa mens ex libertate sibi concessa mutat animum, occasionaliter, et sic per reflexionem et correspondentiam, et induit statum perfectioribus amoribus convenientem, ita potest animus seu ejus forma interna mutari.

Sed *animum mutare est ipsam naturam*, ut bonum in malum, quod facilius, at malum in bonum, est difficilius, id nequaquam fieri potest, nisi media mente rationali ejusque intellectu, intellectus sit vel suus, vel ex fide, seu auctoritate persuasus: nec mutatur natura, nisi aversemur et horreamus mala, mentemque nostram nunquam in illum statum reducamus, et quoties in illum labitur, illam ex libertate data eruamus et induamus illum, qui amori perfectiori convenit, nec sic quidem nisi in hoc statu diu remaneamus, et alteri vim et violentiam inferamus, et per creberrima virtutum opera et

exercitia induamus statum oppositum, et sic continuemus, usque dum naturam traxerit, et alteram quasi naturam expulerit, sic ut quoties natura redit, advertamus, quod resistendum sit: hoc non alio modo possumus exuere naturam malam et induere bonam, quod difficillimum in hac vita est absque gratia et ope divina: sed eo majoris est mentis, si ipsi nos applicemus, et quod integrum non videtur esse, per preces ad Deum ter optimum obtineamus. Ita natura naturam inflectit et quasi mutat, non quidem per influxum in intellectoria seu substantias animi, sed per correspondentiam et reflexionem; intellectorium enim novit veritates, seu quid verum et quid falsum, modo odium veri expellat, tunc loco ejus subit amor veri.

Influxus mentis spiritualis seu animae in animum, et animi in mentem spiritualem.

Intellectorium purum est cui animus primo inest, inest enim tanquam mens pura naturalis, haec, quia est intellectorii, quod a substantia suae animae prorsus formatum est, necessum est, ut prorsus ad animae suae mentem seu spiritum sit formata; sic ut qualis anima, talis animus, in ipsa formatione, dumque embryo latet in utero, inque prima infantia; tunc enim animus prorsus subjectus est menti spirituali; at postea quando formatur mens rationalis, et intellectorii status dependere incipiunt a statu sensoriorum, tunc fit quasi inversio, et animus dependet ab influxu objectorum et harmoniarum per sensus externos a mundo, et per sanguines a corpore.

Ex his consequitur, quod mens spiritualis influat in animum, adeo ut mens spiritualis sit animi essentia et vita, non enim existere et subsistere potest absque mente spirituali, quare etiam mens spiritualis semper amat animum, sed quia animus rebellat seque superiorem reddere vult, tunc a mente spirituali rejicitur, et oritur perpetua pugna: vix aliter ac inter Deum et Diabolum; uterque occupare mentem rationalem studet, sed victoria est unius; nec expelli potest animus subito, sed opus est perseverantia usque ad finem vitae.

Quando itaque animus malus mutatus est in bonum; vel bonus in malum, sic ut natura acquisita naturam expellere ten-

tet, tunc animus primus mutatur; animo mutato deinceps mutatur status animae, sed non per influxum, sed per correspondentiam, et mediante mente rationali, et concurrente gratia divina: dispositio requiritur, ut mens spiritualis cum suis amoribus queat influere, ad minimum rejectio amorum animi, sic ut anima disponi queat cum suis amoribus spiritualibus influere, ad minimum ut mens disposita sit ad influxum talium amorum; intellectus hic nisi ex revelatis nihil contribuit, sed fides ex Deo oriunda, sic imprecato numine, influit ejus spiritus in animam, ejusque statum mutat, vel perficit; sed opus est longo exercitio, si anima mala sit, ut eveniat bona; at brevi, ut anima bona, mente mutata, restituatur: sic est quaedam electio animarum, nam absque miraculosa et singulari gratia anima mala non simul et semel redditur bona; sed opus est vi inferenda sibi, et ardentissima prece, et continuato studio in id quod vere spirituale et divinum est: haec videntur vera esse principia nos spiritualiter perficiendi. Influit enim desuper spirituale divinum in id quod inferius est, nec id quod extra est inferre potest mutationem ei quod intra est nisi per correspondentiam, nec datur correspondentia talis in anima.

Influxus amorum spiritualium animae in mentem rationalem, et vice versa.

Mens spiritualis seu animae nusquam potest influere in mentem rationalem nisi per animum seu medio animo, proinde non nisi quam dum animus sit subjectus menti spirituali, ideo ut influat mens spiritualis necessum est ut animus ita subjugetur, ut obediat non imperet; anima enim non potest influere in sensorium internum nisi medio intellectorio; ergo apparet quomodo spirituale possit influere, id est, si animi affectiones prorsus submittuntur, et arcentur ne occupent mentem; tum ut mens se patiatur agi; nec sic quidem, nisi intellectus mentis ex revelatis sciat, quid eligendum, seu quid divinum est, vere bonum et justum et verum; tum quia mens non ex se id intelligit, precari debet Deum ut fidem inspiret, et amorem, ad quae obtinenda plura sunt media spiritualia revelata; sic tan-

dem influere potest mens spiritualis in mentem rationalem; tam enim alte posita et intime residet mens spiritualis, ut nequeat immediate illam ingredi, nisi modo universalissimo, et nisi per animum; exhinc patet, quam difficile sit animam malam vertere in bonam, et quod hoc sit solius gratiae divinae; modo sit adplicatio humana perseverans.

Inclinatio.

Sunt infinitae inclinationes seu naturae humanae, nullus enim homo similiter inclinat ac alter: sed omnes inclinationes quae infinitae sunt, ad tres generales redigi queunt: scilicet, est *inclinatio sapiendi* seu honesti et virtutum, quae est spiritualis. Inclinatio sciendi, quae est activum; et est naturalis; et inclinatio intelligendi, quae intellectualis vocari debet.

Inclinatio sapiendi, seu spiritualis, ad honestum seu virtutes, trahitur ab anima, ac indicat animam bonam seu mentem spiritualem quae a veris amoribus determinatur: et quia universum corpus est ad imaginem operationum animae formatum, sequitur quod haec inclinatio connasci debeat; apparent etiam semina honesti et virtutum connata, et in integris familiis, earumque posteritate regnant: ipsae virtutes sunt innumerae, hic ad hanc virtutem in specie, vel ad hanc virtutis partem inclinat, alius vero ad aliam: ratio quod inclinatio sit, petenda est ab ipso animae statu vere spirituali, qui connascitur a parentibus, quorum animam trahit proles; in parentem vero venit ex frequente usu virtutum, et exercitio pietatis, usque ad finem vitae durante: quod posteri luant crimina parentum, et propter parentes remunerentur, id omnes orbis historiae confirmant, ut dubitandi locus non detur.

Inclinatio sciendi seu discendi artes etiam connascitur, nascimur enim poëtae, musici, architecti, sculptores, et plura, quod experientia confirmat, hoc etiam trahitur a parente, et perficitur usu; hinc industriae opus est, singulorum naturas in ipsa pueritia explorandi, quando quis in iis perficitur ad quae inclinat, ad summum gradum potest scandere, nam ipsa lubido adspirat. Id enim trahit suam originem ab intellectorio et ejus animo, nam primum intellectorium a parente infunditur ac in-

sinuatur ovo, ex quo similia procreantur; hoc intellectorium ad has status mutationes est proclivius quam ad illas, inde etiam sensoria suas proclivitates ad certas status mutationes trahunt; id est, ad certas ideas formandas recipiendasque; quae statim animum laetificant, nam ejus menti correspondent.

Inclinatio intelligendi; quidam enim nascuntur in prodigiosam memoriam, qua imitari queant intellectum, in facilitatem sensa sui animi exprimendi: in praesentiam mentis; ad meditationem seu phantasiam, quidam ad profundius judicandum, etiam de ipsa sapientia, quamvis insipientes sunt: quidam ad certas scientias, ut ad mathematicas, philosophicas, historicas, et plura: hoc etiam trahitur a parente ex simili causa, quod sensoria in has status mutationes induendas procliviora sint; sed intima causa ducitur ab intellectorio, ejusque mutabilitate animi, indeque oriundo amore, et affectione, qualis enim fuit in parente talis derivatur in prolem.

Sed omnes hae inclinationes aetate mutari possunt, tam a causis externis, quam praecipue internis, intellectus enim noster, et usus mentis rationalis formatur; hinc possunt plures affectiones et amores insinuari, et adsuesci, quae redeunt in eorum liberos per traducem: diutissime tamen permanet inclinatio sapiendi, seu mens spiritualis, quia remotior est a mente rationali, nec ita se patitur mutari; Deus enim semper aspirat, et providet fata, ut non nisi in sua posteritate pereat.

Temperamenta.

Temperamenta enumerantur quatuor, scilicet sanguineum, cholericum, melancholicum, phlegmaticum, et sunt modo inclinationes animi, seu sunt diversi animi, in quos nascimur; *temperamentum sanguineum* refertur ad animum praesentem, recipiendi sensationes et producendi ideas, similiter in affectiones varias pronum, sic non tenacem sententiae, accommodabilem, vivum, hic animus elucet etiam in vultu, oculis, loquela, sono, gestibus, singulis actionibus; et a physiologicis describitur. *Temperamentum cholericum* refertur ad animum, vel significat animum non ita ad voluptates et cupiditates varias pronum, sed serium, aliquando indignantem et morosum, si alius

non ejus sententiae et amori adblanditur; alioquin vir bonus, plerumque honesti amans; ejus etiam vultus et externa forma describitur. *Temperamentum melancholicum*, significat animum tristem, phantasiis immersum, plus sensibus internis quam externis indulgentem, a voluptatibus magis alienum, magis hominem internum quam externum, contra quam sanguineus, tenax sententiae, hypotheses et opiniones ut veritates credit, singulis sapientiorem se credit; in affectiones in quas labitur, est vehemens, et illas propria phantasia auget: amans solitudinis, vel sociorum quibus adsuevit; varietatum osor. *Temperamentum phlegmaticum*, significat animum non pronum, neque ad iras, neque ad alias affectiones, tacitus, in se retinens sua, patiens, sed intus incalescit; lentus agendo, et plura.

Sed temperamenta haec non sufficiunt exprimendis mutationibus animi, sumuntur enim ab ipso statu sanguinis et vultus signis, animus enim sibi format vultum, ut sui imaginem, similiter etiam disponit liquida et sanguinem, ut sibi famulentur, seu faveant: ita qui ex natura aut consuetudine hanc aut illam naturam trahit, ejus sanguis ad istam naturam disponitur, sed quia temperamenta exprimunt modo formam animi externam, a qua deducere volunt internam, ideo non scio an inclinationes animi ad haec genera, aut species, rite queant redigi; et num exhauriant variationes specificas; id perspicuum est, quod admodum fallant augures; et quod successu aetatis mutentur. Sanguis enim, cujus temperamenta sunt, variatur diversimode: sanguineus enim dicitur, qui sanguine fluidiore mitioreque gaudet, cholericus qui asperiori, bilioso, ramentoso, puriori; melancholicus qui duriori, sicciori; phlegmaticus qui lentiori tenacioreque.

Animus ad affectiones recipiendas edendasque, et consequenter ad sensationes externas internasque pronus, facilis et praeceps est qui sanguineus vocatur. *Animus* vero, qui languidus est ad affectiones et sensationes internas et externas, est phlegmaticus. *Animus* vehemens in passiones, et sensationes internas externasque est cholericus. *Animus* lentus in easdem est melancholicus.

Ita animos possumus distinguere potius ac sanguinem, et loco temperamentorum substituere. Sunt enim animi *proni*,

lenti, *vehementes* et *languidi* in passiones seu affectiones, et proinde etiam in sensationes externas internasque, nam sensationes sequuntur animum; nam ab animo separari nequeunt: qualis animus talis sanguis et talis forma corporis ejusque virium.

De morte.

Quid sit corpus aut corporis forma, supra est expositum; scilicet quod corpus consistat ex formis ordine inferioribus et consequentibus ab anima, quae est forma spiritualis; ita corpus est purius et crassius. Forma animae est spiritualis, intellectorii est coelestis, sensorii interni est vorticalis, sensorii externi seu cerebri est spiralis, ipsius appendicis, quae proprie corpus vocatur, est circularis; ejus ossa, cartilagines et similia, sunt formae angularis, similiter plura elementa quae sanguinem ingressa, eum constituunt, in cujus unoquovis globulo omnis forma a prima ad ultimas latet.

Hae formae ita connexae sunt, ut una teneat alteram arctissime, sic ut appareant unum ens, licet distinctissimae sint; ita anima dicta est descendere a suo coelo in mundum, quum se in tales formas contulerit, et ex se suaque substantia formaverit organa, quorum formae tandem corporeae et materiales sunt: causa fuit, ut potuisset interesse functionibus hujus ultimi mundi, et ejus viribus convenienter operari; si enim non induerit formam corpoream, tunc nequaquam potuisset ambulare super terram, pondera levare, colere tellurem, procreare sobolem, societatem terrestrem formare, sed in regione quadam sublunari viveret; quare ita formatum est corpus, prout functiones obire intendit, ita aliter homo, quam animalia quadrupeda, reptilia, volucria, aquatica; omnia secundum naturam cui convenienter munia quibus functura sint.

Has ultimas formas destruere dicitur mori, et destruuntur primum ultimae, ast ordine puriores et superiores, usque ad animam seu formam spiritualem, quae non destrui potest; primum destruitur forma angularis, seu separantur earum nexus, dissipantur angularia quae insunt sanguini et humoribus, quare tam exigua portio sanguinis in mortuis conspicitur remanens;

postea forma circularis, seu forma viscerum singulorum, etiam externa quae collabitur; tum cerebrum seu forma spiralis; et sic ordine caeterae.

Mori dicuntur vel destrui, quando id quod cujusvis formae proprium est, perit vel dissolvitur, cujusvis formae proprium est situs et nexus partium, seu ordo, proinde status, praeter haec nihil alicui formae proprium est, quando haec dissolvuntur tunc perit vel moritur forma, et tunc omnis illa affectio quae ei adaequata est interit, sic anima non potest sentire illa quae ei conveniunt, quae sunt modificationes et affectiones ultimi mundi, ejusque harmoniae, seu sensationes et similia, nec obire functiones caeteras corporeas, nam utcunque musculus dissolvitur, potest tamen fibra unaquaevis motrix superesse, sed proprium musculi periit, situs, nexus, seu ordo et status fibrarum motricium, possunt fibrae motrices resolvi et mori, sed remanere usque fibrae nerveae quae fibras motrices componunt: fibris nerveis dissolutis et pereuntibus, remanent fibrae simplices, et sic porro: ita etiam in caeteris visceribus, imo etiam in organis; uti enim successive formata sunt, ita successive solvuntur, seu uti nata sunt, ita denascuntur; formae infimae quia mutabiles, inconstantes, imperfectae, minus conspirantes earum determinationes, semper primum moriuntur, et sic ordine usque ad primam: triangularis forma prius dissolvi potest, quam circularis, circularis prius quam spiralis, adjicitur enim semper aliquid perpetui, seu adimitur quid finiti, et inconstantis, dum forma assurgit; quae est ratio, quod solutiones formarum, et proinde corporis, quod ex ejusmodi forma consistat, eo ordine peragantur.

Ex his etiam sequitur, quod plus temporis requiratur ad solutionem formae alicujus superioris, quam inferioris, scilicet quod plus temporis ad solutionem formae spiralis, quam circularis, et plus temporis ad solutionem formae circularis, quam angularis; ita mors ab homine externo ad internum progreditur, et lentius progreditur quo interius.

Sed sanguinem assumamus pro exemplo; illius globulus quia constat ex omnibus formis usque ad primam spiritualem: sanguis ruber primum dissolvitur, ac dissipantur elementa angularia, quod fit admodum cito, postea remanens sanguis

purus solvitur, sed post longiorem temporis moram, postea remanet id quod proprie spiritus animalis vocatur seu pars ejus individua, haec non facile solvitur quia est forma coelestis, post hanc remanet anima, a terrenis purificata.

Ita per mortem traditur terrae quod e terra desumptum est, uti quod sanguini ejusque humoribus inest, tum aëri quod ab eo mutuo desumptum est, ut et aetheri, id remanet, quod purum animale ejusque proprium est, seu anima, quae unicum est quod vivit, et quae in corpore secundum suas formas organicas vivit; proinde moritur omnis illa vita, quae organismo isti adaequata est, id est vita animae externa, ultima, infima, et imperfectior; ita de organismo praedicatur dissolutio, et de vita istius organismi mors.

Quaeritur ergo quae vitae moriantur aut qui nexus organici dissolvantur; quot enim gradus organorum sunt, tot sunt gradus vitae, alia enim est vita linguae quam auditus, alia vita auris quam oculi, alia vita oculi quam sensorii interni, quae perceptio vocatur, alia vita sensorii quam est intellectorii, et alia vita intellectorii, quam est animae, quae est spiritualis, et quae est omnis in reliquis, in quibus secundum formam et per formas vivit; ipsae formae dicuntur organicae, suntque ipsae substantiae, quarum affectiones sunt sensationes.

Ut ergo sciamus quae formae dissolvuntur aut vitae moriuntur; id satis in confesso est, quod vita communis corporis moriatur, seu communis nexus omnium dissolvatur; similiter quod organa sensoria externa, uti tactus, gustus, olfactus, auditus, visus, cum illorum organis: tum etiam sensorium internum, cum intellectu et mente rationali, id est, quod glandulae corticales cum illarum status mutationibus, nullus enim talis intellectus fuit in embryone, vix aliquis in infante, crevit cum aetate, consummatur in adultis, decrescit iterum in senectute, debilitatur et perit in morbis, ita etiam emoritur una cum corpore, nam intellectus hic acquisitus est in eum finem ut anima per illum apperciperet quid extra agitur, et quidem per sensus, utque per illum potuisset exequi illa quae in ultimo mundo obeunda sunt: quando anima non amplius vivit in ultimo hoc mundo, nec amplius percipere vult quid in infimis agitur, nec obeundum quid est in tellure et societate terrestri,

tunc cum necessitate et usu perit facultas, ipsumque organum isti usui praedestinatum: o quam miseri essemus, si post mortem viveremus mente rationali, intellectu nostro imperfecto, et voluntate inconstanti totque inconstantiis et desideriis gubernata, et si viveremus partim spirituales partim animales, sane potuisset in futura vita mens talis aeque mutari et per sua intervalla mori, ac in hac vita, naturam enim suam non mutat. Ergo mens nostra rationalis, cum ejus desideriis, affectionibus, et intellectus noster cum ejus principiis, opinionibus, et machinatonibus moritur, nec corpus suum supervivit.

Quod intellectorium purum attinet, cujus est mens pura naturalis, hoc quidem etiam mori videtur, seu dissolvi, sed post longissimam temporis moram, nam forma est coelestis, nec adsunt formae quae illam destruere queunt, sed quamdiu id nostrum non est determinare; sic ut mens ista vel animus post mortem diu superstes sit, sed non operari potest, quatenus forma ejus communis seu externa dissoluta est, ipsaque sibi novam adhuc formam adipisci nequierit. Sed haec mittamus tanquam prorsus ignota, num scilicet animus humanus supervicturus sit vitam corporis usque ad ultimum judicium, quando igne purissimo elementari singula sunt in sua principia resolvenda; sed in arcana haec non penetremus.

Sed quaeritur, cur dissolvendum sit corpus, seu vita corporea exstinguenda sit: cur id providentia divina fiat, admodum est clarum, si respiciamus finem creationis, scilicet ut animarum societas universalis, quae coelum constituat, existat, quae absque seminario in tellure, et absque morte illorum, et successione perpetua obtineri nequierat: tum etiam ut formarentur animae, in suis corporibus, et ad statum aeternum reformarentur; quod terrenum et corporeum est, nequaquam potest esse perpetuum, quia in se est mutabile, inconstans, imperfectum, semper decrescens, ita mors inseparabilis est a vita corporea, cumprimis quando voluntati mentis rationalis est subjecta, quae semper aufert vitam corpoream.

Accedit quod absque morte anima nusquam suo juri et arbitrio secundum suam naturam vivendi relinqui possit, innexa enim est corpori, seu est ipsa sui corporis forma, ei ita invincta, ut non aliter agere possit, quam secundum facultatem for-

marum quas adepta est, sic limitatissima, nec nisi quam velle et desiderare alia ei relictum est; ut ergo anima sibi relinquatur, necessum est, ut ejus forma ultima resolvatur; ipsa etiam anima saepe cupit dissolvi, cumprimis quando amores animi ejus puriores amores expugnaverint, et illa quasi subjugata corpori vivit, tunc ipsa conspirat ad corporis sui dissolutionem, et quidem per contingentia, quae nobis insciis saepe accidunt, et sunt causae morborum mortisque, sed de his alibi.

Sed de his seu de morte distincte agendum est, et per suas divisiones ut melius cohaereant.

De Immortalitate animae.

Quid anima, supra est definitum et descriptum, scilicet quod sit immaterialis, extensi, motus, partis, expers; proinde nihil periturum in se continet; at haec potius sunt praedicationes verbales, quatenus ista nomina non competunt formis superioribus; tametsi aliquid analogon possideant; absque enim idea analogi, non evitari potest idea nihili, ideo potius ad ipsam formam animae nos conferamus, dictum enim est, quod forma animae sit spiritualis, et quod in forma spirituali infinita sint illa quae in formis inferioribus finita, et secundum descriptionem quod omnis idea loci, scil: centri et superficiei, sursum et deorsum, proinde motus et extensi interierit seu abolita sit, ex ipsa idea formae patet, quod nihil in illa sit, quod perire queat, ut enim pereat destruaturve necesse est situs nexusque partium ita mutetur, ut pereant, in forma ubi nulla idea loci, centri, superficiei, seu in qua ubivis centrum, ubivis peripheria, ubivis superficies, nequaquam concipi potest destructio; ipsa destructioni suae contraria est, et perpetuitati favet; imo et quo magis impeteretur, eo magis omni nisui destructionis resisteret.

Si formas ordine expendimus, apparet quod semper aliquid perpetuum accedat, dum forma fit superior vel ad superiorem aliquam ascendit; ut dum ab angulari ad circularem, tunc circulus fit perpetuus, et omnes lineae et plana ad perpetuitatem quandam conspirant, sed quia haec forma tam per expansionem, quae fit a centro ad peripheriam, quam etiam per impe-

tum aliorum in superficiem illatum, cui tamen resistit [, mutatur,] vel in se redit, vel abit in statum quendam alium; ne itaque forma circularis pereat per expansionem, est id perpetuum in forma spirali, nam spirae terminantur in superficie quadam circulari, atque in illam redeunt, ita per expansionem tum per reditum illum et respectum conservandae superficiei ista figura adhuc est permanendi securior; sed usque quia respicit centrum, adhuc potest destrui; sed possibilitas pereundi in formis adhuc superioribus aboletur, ut in vorticali et coelesti, ita in spirituali talis est perpetuitas, ut suamet ipsius forma sit tuta: una enim determinatio ita respicit alteram, ut una alteram ab omni injuria immunissimam reddat; hoc fluit ab ipsa forma ejusque perfectione concreata.

Accedit quod forma spiritualis suam essentiam a Deo per inspirationem immediate traxerit, tanquam proles a suo parente, quare numen seu ipsum Deum ut suum patrem simul in creatione agnoscit, quod ab ipso aeterno et immortali est et existit, nequaquam potest destrui seu mortale esse; quae est ratio, quod anima immortalis sit [non] per se, sed per Deum, qui solus est immortalis per se, ita fit per illum.

Quum itaque anima sit intima et suprema omnium formarum, et quia ipsa prima forma naturalis sit infra illam, et inferiores usque ad angularem distent tanquam terra a coelo; hinc nequaquam potest anima attingi, minus destrui ab illis, quae in natura sunt, dic quomodo id, quod intimum est, destrui posset ab iis, quae extra sunt, seu id quod supremum est, ab iis quae infra sunt, seu id quod simplex est ab iis quae composita sunt, quod prius est a posteriori, sic quod perfectissimum in se est, ab imperfectis in se, quod enim imperfectum possit subsistere, id trahit a perfectis, quae insunt; cui inest infinitum a finito tangi nequit, minus destrui, quod constantissimum in se non destrui potest ab inconstanti. Ipsae formae superiores, cumprimis spiritualis, infinities possunt status sui mutationes subire; in hoc enim perfectio earum consistit; si poneretur aliquis impetus, collisio, aut simile tale, quale datur in inferioribus, tunc in qualicunque velit status mutari potest, et usque in suam naturalem redire; comparative ac substantiae naturales quae summe sunt elasticae, flecti et reflecti, expandi et

comprimi possunt, et usque in suam formam redeunt, ita tantum agunt quantum patiuntur, hinc nulla vi aut impetu queunt extra statum suum naturalem deturbari.

Ex his jam sequitur quod animam nequaquam tangere possit aliquod terrestre, sive fluitet in aëre, in aethere, in igne, nec aliquod atmosphaericum, purissimusque naturae ignis, omnia ista longe infra illam stant, nec illam attingunt, nec si attingerent, minimam vim possunt inferre, nam in sua forma est tuta: id etiam in ipso corpore apparet, ubi tanta turba est partium volatissimarum ex tellure, atmosphaera aërea, et aetherea desumptarum, sed usque ne minimum quidem nexum ejus organi turbant, locum ordinemve laedunt. Minima forma angularis myriades substantiarum quales sunt animae, contingerent; idque foret, tanquam dicerem quod magna trabs potuisset partem alicujus aetheris findere, quando tam obtuse volumen myriadum ejus partium tangit, et simul poros ejus pertransit, vel sicuti velles dicere, quod asseres et arbores exstinguerent vim abstractivam et directivam magneticam, cum ipsa metalla, omniaque transfluat; ita foret laedere et impedire operationem animae seu spiritus per ista quae naturae minutissimae formae angulares sunt, seu ignis, ipsa enim vis magnetica etiam ignem et flammam pertransit, quod tamen a formis vorticalibus peragitur, quid in anima, quae forma est supra coelestem.

Accedit, quod contra ipsam naturam sit, quod id destrui queat, quod gravitatis et levitatis est expers, seu quod non resistit gravitate quadam, sed quod tantum agit prout patitur, seu cum actio et passio prorsus correspondent; sed quid agens dari potest, quod destructum sit, itaque nullum dabile est extra aut infra illam, nam non attingit, quod destruit ipsas determinationes poterit aequare, et attingere: non illud destruit quod supra est, id enim est divinum, hoc conservat nec destruit, eoque impensius, quum animae humanae sint fines creationis, regnumque Dei constituunt; nec vero id destruit quod intus est, sed conservat, uti dictum supra est de forma, quod illa se ipsam tutetur.

Mors autem spiritualis non est destructio essentiae et vitae, sed ipsius vitae melioris, scilicet quod remota sit anima ab amore Dei, a sapientia, felicitate, perfectione, et quod ces-

saverit esse imago Dei, ac in coelo, haec est mors spiritualis, ipsa enim vita consistit in amoribus vere spiritualis, qui cum exstincti sunt, ut loco illorum amores contrarii successerint, seu odia, tum mortuum esse dicitur, quod vere vixit, vere vivere est amare Deum, et sapere, in tali remanet ipsa forma, ipsaque essentia, quae perire nequit, sed est modo perversio status, seu status formae ita mutatur, ut amoribus divinis non amplius congruat convenienter, et sic imago ista Dei amittitur, quae requirit statum amoribus ejus conformem.

Sed quaeritur, cur ipsa vita appareat mori et destrui cum nostro corpore, seu quod ipsa vita appareat esse potius corporis quam animae, ut in deliquiis, ecstasibus, somnis, naufragis, sepultis redivivis, embryonibus, caeterisque, qui alte ignorant post resuscitationem in vitam corpoream, quod interea vixerint, nullum remanet signum memoriae impressum quid cogitaverint, et quidem quod cogitaverint; ex his et similibus exemplis apparet, tanquam vita nude corporea esset, et nulla animae.

Sed in his ut in innumeris aliis ab apparentia illudimur; vita enim animae non talis est, qualis est nostrae sensationis, nec qualis perceptionis, imo nec qualis cogitationis, sed est perfectior, superior, influit vita animae in ipsam cogitationem, et illam perficit ut mens possit cogitare, sed ipsa cogitatio usu addiscitur, estque mentis rationalis quae simul cum corpore perit: qualis sit vita et intelligentia pura animae, et quomodo influit in cogitationem, id solum apparet ex reflexione, quod scilicet naturaliter percurrat anima omnia cujusvis scientiae arcana, quando operatur in corpore ejusque sensationibus et cogitatione, illa scientia non addiscitur sed connascitur, influitque ex vita animae: annon ipsa arcana sicut opticae percurrit oculus, annon arcana scientiae acusticae auris, ut ex se suaque natura noscat formare sonos, et conferat quae harmonica sunt. Annon totam philosophiam primam, logicam, dialecticam, grammaticam etc. dum cogitat, judicat, loquitur, imo puerulus ipsa arcanissima scientiarum percurrit, ideo ex nobis discimus omnem istam scientiam. Anima percurrit omnem chymiam, mechanicam, mathesin, physicam, dum agit et producit minimam actionem, movetque musculum: ex his apparet, qualis in se est vita animae, quod

talis sit qualis est ex se, nec addiscitur, ut scientia mentis rationalis, unde imaginatio et cogitatio; ergo intima vita vel essentia cogitationis inde ducit originem, cogitatio itaque recedere potest, et tamen vita animae seu summa intelligentia spiritualis remanere.

Vita animae quum talis sit, non potest aliquod signum imprimere menti nostrae rationali, est enim intelligentia universalior, purior, simplicior, superior, quam ut aliquis queat vocibus, tum ideis materialibus, seu cogitare eo modo, quo nos cogitamus, proinde non potest aliquod signum imprimere sensorio, et absque ideis memoriae aliquam mutationem ei inducere; cum itaque ideas taliter informat, nec loquitur voces, sed intelligit intime illa quae loquitur aut cogitat mens, sequitur quod talis vita nequaquam possit aliquid suae memoriae in mente quae crassissime intelligit res, imprimere.

Sed quod ista vita sit nostra, ipsiusque corporis, et quod in illam post corporis solutionem redituri simus, id apparet ex eo, quod anima sit quae sentit, scil: audit, videt, percipit, cogitat, judicat, vult, sed secundum formam organicam, nec aliter; id etiam ad vivum apparet, quod anima videatur non seorsim vivere, nisi successive ut destruuntur formae externae, scilicet, apparet visus tanquam sit in oculo, at usque clauso oculo videmus visu, et quo magis oculus clauditur, eo magis perficitur visus internus, et imaginatio, et quidem ita ut visus externus potius impediat internum; similiter imaginatio et cogitatio videntur ita cohaerere, ut absque imaginatione videatur cogitatio perire, at vero ut profunde cogitemus, et ipsas res penitus ineamus, necessum est ut removeamus ideas imaginationis materiales, seu abstrahamus mentem ab iis quae materialia sunt, sic enim non aliter pure possumus cogitare; id fit per abstractionem: ita redit cogitatio, et separatur quasi a sua forma externa; talis cogitatio vix etiam aliquod sui signum imprimit sensorio nostro interno, nec nisi quatenus alicui ideae materiali seu effigiei est infixa. Quando jam omnis haec idea materialis recedit, tum vita animae subit, quae nullam relinquit sui impressionem in sensorio; uti nec se prodit qualis est in embryone et infante, quum nihilominus tantae intelligentiae sit in minimo embryone, qualis in adulto et judicii consummatissimi;

sed se promere nequit nisi dum mens nostra rationalis instructa sit ideis memoriae, quibus alatur ad se exprimendum.

Talis est vita animae, nulla ignorantia commixta, nullius imperfectionis, omnem scientiam in se possidens, ut sit ipsa scientia, veritas, ordo, intelligentia, talis perire omnino nequit, cui subjecta est natura, quae destruitur, et sic vita istius formae mori videtur; ipsissima animae vita est ipsissima nostri, nec ad se redit, ut ejus conscii esse queamus, priusquam recesserit vita formarum quae infra illam sunt, et quibus est innexa; *quas etiam ipsa anima destruit, ut illarum vinculis se exsolvat, suique juri et arbitrio agendi restituatur*, sicuti enim anima novit corpus suum formare, unum viscus post alterum formare, seque ipsam ex utero eripere, ex se lactare ubera, et plura, et sicuti novit bombyx se in papilionem transmutare, et suam pristinam formam destruere, ita novit anima etiam formas suas destruere, et se libertati suae vindicare, ac sic a vita hac *caduca, imperfecta et inconstanti in immortalem transmigrare*, quod absque morte vitae corporis fieri nequit.

Ex ipsis operationibus animae liquet qualis ejus forma sit, anima est ipsa substantia cui forma inest, ejus intelligentia est facultas illa et qualitas eminens ejus virium et modificationum; ita ex forma, ut et ab ipsa intelligentia deduci et clare conspici potest, quod anima sit immortalis.

De statu animae post mortem corporis.

1. Quisque sollicitus est scire qualis animae nostrae status post mortem corporis futurus sit, nemo non auguratur, quod futurus sit qualis vitae nostrae corporeae, seu qualis dum mente rationali vivimus, nam superiorem, perfectiorem, universaliorem et abstractiorem vitam dari, quis suspicari potest, qui non in vitae gradus mente penetraverit: pauci sunt qui negant vitam superstitem, quam animae ut et animi dicunt; gentiles sapientes id unanimiter crediderunt, ut videre est apud auctores graecos, Sophos, Platonem, Aristotelem, Ciceronem, et caeteros omnes; adeo ut hoc extra omnem dubii aleam posuerint, Pythagoras et Socrates etiam statum animae post mortem describere conati sunt: nos Christiani ex sacris adhuc melius in-

structi non modo animae vitam immortalem credimus, sed etiam statum felicem, seu coelum, et statum infelicem seu infernum dari. Sed nos principia psychologica ordine tradita persequamur, et quid principia ista dictant, disseramus.

2. Communis sententia est, quod anima protenus post mortem corporis separetur et evolet, suumque cadaver relinquat; at vero quando consideramus quod universa forma corporis non sit nisi ex sola substantia anima seu ex anima; nihil enim non est ex fibra simplici, et fibra simplex ex cortice simplici, et sic porro: quumque anima sit realis essentia et substantia, ex qua universa forma organica corporis, et sic quod sit omnis in omni parte, tum quod intime et quasi in centris omnium resideat: etiam in ipso sanguine, cujus principalis essentia est anima, quae ei inest: ex his sequitur quod omnis anima non eodem momento quo vita corporis exstincta sit, avolet a corpore: sed quod tamdiu remaneat, dum singula exsoluta sint, quibus inest, id confirmatur a plurimis, qui aliquot dies post exsequias funebres resurrexere, et inter terricolas annorum vitam transegere, quos historiae memorant: tum etiam qui naufragio, tum etiam angina suffocati post aliquot dies revixere; interea non potuit anima a corpore exulavisse, et tunc quando obstructiones sunt discussae, aqua evomita, tunc illico redeat in suum hospitium; sunt etiam mortuorum similes, qui patiuntur deliquia, syncopen et similia, et tamen non evolat anima, sed moratur vivitque licet corpus quasi exstinctum sit. Exempla etiam plura sunt, imo et in sacris, quod cadavera et ossa mortuorum suorum nefas esset violare, sed quod quiescerent, nec dispergerentur, Samuel etiam exsuscitatus fuit, et plura similia exempla tam in sacris quam in prophanis; id ad minimum nobis quasi connatum est, tanquam ipsa anima dictaret, quod si violarentur ossa mortuorum, eorum manes violatoribus occurrerent; de quibus etiam multa memorantur. Quorundam etiam religio fuit ipsa ossa heroum sanctorumque osculari, venerari, utque opem vel ferant vel obtineant, precari; haec omnia vanissima forent, si anima prorsus e corpore exiverit, et nudum id quod terrestre est remanserit; interea ex tenore nostrorum argumentorum sequitur, quod anima quae ipsam formam corporis organicam, ejusque partium procreat, tum etiam sanguinem et

spiritum animalem, quod nequaquam possit nexibus suis exsolvi, nisi formae posteriores et mutabiliores prius fuerint dissolutae; quamvis non negandum sit, quin multum animae possit esse a nexibus exsolutum, sed tamen non ideo separatum, contra ipsam naturam spirituum est, ut separentur substantiae quae ad unum systema conficiendum natae factaeque sint; sed quod aliis partibus innexum est, id separabile est, usque dum illis vinculis exsolvatur, nec omnium plene exsolvi posse videtur prius quam superveniente igne purissimo elementari, seu post conflagrationem mundi.

3. Sed quaeritur qualis vita vivatur dum anima adhuc moratur in corpore exstincto, et quoad organicarum partium situm, nexum, ordinem destructo; illa vita non potest non esse vita obscurissima, seu sola vita, absque ulla intelligentia; id patescit a sola intelligentiae definitione; omnis intelligentia ponit non solum internam formam, et status mutationes in singulis sensoriis seu intellectoriis, sed etiam formam singulorum externam seu ut mutuum inter se situm et ordinem teneant; destructo hoc ordine inter singula, et destructo nexu et situ, perit illico communicatio virium, modificationum seu affectionum; sed succedit irregularitas quaedam, ex qua non distincta aliqua et determinata secundum formam vita resultat, sed confusa et obscura, sic ut nude vita absque aliqua intellectione possit vocari; intelligere est vivere distincte, et secundum formam non modo singularium, sed etiam omnem communiter consentientem, quae est ratio, quod intellectus noster illico perturbetur, quando situs et nexus sensorii seu glandularum corticalium turbantur, uti ab historia morborum capitis docemur: visus perit a perturbatione partium sive fibrosarum sive liquorum, ut sic hebes visus succedat. Heic simile occurrit, ac in natura colorum, quando omnes colores inter se ex aqua commiscentur, seu quando infinita prismata minimaque irregularia corpora vitrea commiscentur, tunc nullus color distinctus aut pulcher ordo sed sola albedo, quae est omnium confluxus, resultat.

4. Sed quando nondum destructus est organismus seu extra suum ordinem turbatus est, tunc remanet vita animae distincta sicuti in embryone, sed anima suam mentem intelligen-

tiamque universalem non communicare potest cum mente rationali, ex rationibus supra allatis, proinde nullam sui memoriam post resuscitationem relinquere.

5. At vero substantia animae ex corporeis suis nexibus soluta, videtur vitam vivere distinctam, et quidem eo distinctiorem quo plus animae compedibus istis solutum sit, ipsa enim individua societatem inter se formant, et distinctissimum ordinem instituunt, sunt enim suae libertati relicta, exspectantque socios; quo enim major eorum societas, eo perfectior est vita; quoque quis diutius vixerit, eo acquisita est major societas, quae unanimum corpus forment.

6. Quatenus anima in substantias spiritualis formae distinctissima est, credi potest, quod substantiae seu formae individuae post solutionem possent dissipari, nec iterum in corporis cujusdam societatem coalescere, sed talis opinio ex ignorantia mundi et naturae purioris et entium puriorum oritur; credimus enim tale quid exstituturum, dum resolvitur corpusculum in fumum, vaporem, cinerem, favillam, sed alia prorsus ratio obtinet; in mundo supremo, purissimo, perfectissimo, seu ubi natura est simplex et prima, ibi non concipi potest disjunctio entium per mutam harmoniam et similitudinem ad unum corpus pertinentium; quaelibet substantia viva et spiritualis animae suam sociam in corpore ut suam propriam agnoscit, nec cum alia in mutuo consortio vivere potest; nec quicquam obstat quin conjungantur, nam non est spatium, locus, tempus quod disjungit, locus, spatium, tempus, gradus et momenta sunt naturae inferioris, non autem supremae; locus ibi est respective ad entia inferiora, inter quae datur sursum et deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, centrum, superficies, diameter, seu ut sit ubi, omnis respectus loci est ab anima ad animam, quia distinctae sunt: nec separari possunt, nam una substantia animae alteram cognoscit, sentit, sapit, si vel respective distaret ut sol a terra, vel sidus ad sidus; quando enim oculi tam crassi organi visus pertingit usque a tellure ad stellas et solem, quid non animae visus, intelligentia, quae vocari potest sympathia spiritualis, quum nihil obstet, quin iterum conjungi queant. Ergo est sola ignorantia mundi purioris, quae nos ludit, et imponit dissipationem quandam, quae in illo mundo impossibilis

est; et cumprimis quando omnipraesentia spiritus Divini in omnes animas agens non queat permittere, ut quicquam separatum sit, quod ad unum pertinet: est enim spiritus omnia infra se uniens, concordia jungit, discordia disjungit, sicque omnes animas colligit, quod necessum sit, quia si influxus hujus spiritus universalis consideratur, non potest non jungere omnia quae ad unum corpus spectant, et vice versa.

7. Quando similia phaenomena occurrunt in mundo et natura inferiore et imperfectiore, quid non debet in superiore et perfectissima; ubi nihil datur irregulare, sed summe harmonicum, concordans, et unitum: satis notum est, quod arbuscula, plantae, flores, rosae in pulverem crematae, quod renascantur in aquis, modo arte quadam excitentur eorum quasi vitae vegetativae seu spirituales quasi essentiae; ipsa illa figura excitata dum concusso vase relabitur in suas cineres iterum reviviscit, et sic aliquoties, hae partes nec possunt disjungi, et separari, quin coëant in formam suam pristinam et veterem amicitiam et consuetudinem post fata jungant, et quidem ita, ut prorsus in pristinam formam coalescant; quid non animae humanae post fata corporis.

8. Ut taceam manifestas sympathias etiam agnitas in mundo hoc inferiore, quae totidem sunt ut recenseri nequeant: tanta est sympathia et quasi magnetismus, ut communicatio saepe sit plurium milliarium; sed haec a quibusdam inter nugas recensentur, ipsa usque experientia veritatem confirmat. Nec velim id memorare, quod manes quorundam post fata corporis et exsequias conspicui facti sint, qui nequaquam potuissent manifestari, (: posito non concesso:) nisi spiritus animales mutuo conjuncti essent, nec a mutuo consortio separarentur: Talis ad minimum nexus et amor in ipso corpore intercedit, sic ut mutuam consuetudinem servent, nec se distinguant. Haec etiam est causa amoris mutui seu corporis.

9. Quod omnis substantia animae alteram consociet, id apparet etiam ab amore parentum in prolem, cujus animam quia novit parens ex sua anima desumptam esse, intime ita perit et amat, ut iterum velit conjungere et illam inire, quod frustra per oscula et amplexus pertentat: quid non universa anima unius corporis.

10. Interim id confitendum est, quod anima unius nusquam distincta foret ab anima alterius, si status unius animae absolute similis esset statui alterius; sed quia provisum est, ut perpetuo aliqua differentia sit, inter animas, ideo conjungi nequeunt, sed unaquaevis anima suum corpus formatura est, et suam vitam victura est; sic una cognoscit sociam substantiam, quod ad se suumque systema pertineat, sic sympathetico quodam amore tracta non cum alia se unire potest, nam non sua est, cumque illa in unum corpus uniri nequit: universalis itaque providentia divina regnat in distinguendis singulis a singulis, ne scilicet una anima absolute similis sit animae alterius.

11. Sed quaeritur qualis forma futura est animae in coelo, num similis formae corporeae, sive alia, quae vocatur angelica, proinde num forma angelica sit similis formae humanae: id quidem non reor futurum, ut induturi simus formam humanam; talis enim forma est unice propter usum in ultimo mundo: in coelo uti animae volucres sunt, nec in aliqua tellure societatem jungunt, non opus habent pedibus nec brachiis, proinde nec musculis, id est, carne et ossibus, sunt enim spiritus; imo nec sanguine rubro; nec opus habent ventriculo, intestino, mesenterio, illa enim sunt propter alimentorum receptionem, chylificationem, nutritionem, sanguificationem, et similes usus; nec corde, quatenus nec sanguis ruber, nec hepar et pancreas, lien; imo nec dentes, fauces, guttur, trachea, pulmo, lingua, non est usus aëris, respirationis, loquelae, comestionis: nec auris et oculus; ubi nullus aër ibi nullus sonus, et ubi nulla tellus nullus visus, nec aliquem usum potest praestare: ipsa etiam membra cerebri, cum meningibus, medullis oblongata et spinali, nulli usui inservitura sunt: cum ipso usu perit omnino necessitas: ad quem usum forent membra genitalia; haec omnia, quando spiritus et formae angelicae futuri sumus, nullum usum praestant, proinde non videtur anima illam formam, quae imperfectior est, non autem coelestis, adeptura esse: nisi nova tellus, nova atmosphaera crearetur, et in novam hanc tellurem ut incolae novi mitteremur, sicuti quorundam est opinio.

12. Sed quaeritur quam formam adepturi simus, id non melius scire possumus, ac bombyx quum miser vermiculus reptat super folia sua, et post exantlatos labores vertitur in aure-

liam, et evolat papilio; ille nescit quod aliud prorsus corpus induturus sit, quod conveniat isti atmosphaerae in qua victurus est, nescit quod alas assumerit, et quod instrueretur membris isti vitae adaequatis; ita etiam nos; alte ignoramus qualis sit ista aura purissima, quae coelestis vocatur, et in qua animae victurae sunt; quae omnino instruendae sint tali forma, ut ubique tanquam volucres in nostra atmosphaera possent carpere sua spatia et pervolare universa et coelos, et ejusmodi membris et forma instrui, quae prorsus isti vitae adaptabilis sit: ideo antequam novimus qualis ista aura sit, et quam in ea vitam victuri simus, nequaquam dicere possumus, qualem formam indueremus: id modo licet dicere, quod non talis qualis heic nostra futura sit, sed omnium perfectissima; in quam nos mutabimur, sicuti nymphae et aureliae in formas perfectiores, ad quas nostrae animae similiter aspirant, et saepe propter illam causam ad mortem sui corporis festinant; id enim animabus insitum est, nec communicatur nostro corpori.

13. Interim quando anima sibi relicta est, nec amplius innexa formis organicis necessariis ad vitam corpoream obeundum, tunc videtur anima posse quamcunque velit, formam induere: ut si a coelo se demitteret in tellurem, momento humanam posse adipisci, universa enim natura ita formata est, ut pro causa instrumentali vitae spirituali inserviat, adeo ut sponte in obsequium fluat, modo imperet anima; prorsus sicuti in corpore, anima enim seu spiritus jubet, ut hic aut ille actus voluntati ejus conveniat, et illico famulatur et ruit obsequiose: vult videre mundum aspectabilem, illico formatur oculus ad omnem formam modificationum, vult audire, et illico organismus auris tam mirificus existit, vult ambulare, volare, natare, illico pedes, alae, pinnae; ut infinita alia praeteream; imo anima infantis saepe commata ab anima matris praecupientis vel exsternatae, tunc illico secundum solam ideam formatur glis, rana, rosa et similia in loco corporis tacti; haec sunt argumenta quod natura sponte ruat in obsequium quando anima imperat: ita post mortem, quando vinculis suis organicis est exsoluta, quamcunque velit formam, quae suo statui conveniat, assumere posse videtur, ut si se demitteret in tellurem, momento adsciscit humanam, imo etiam si ita res postulat, aliam quamcunque anima-

lem, ad id non magis quam velle requiritur, omnia ex se consequuntur; nec forent miracula, quia non magis foret contra naturam, quam ab ovo induere corpus humanum vel induere glirem, cute, et similibus se in teneris notare; anima in libero statu determinandi constituta est, nec ita limitata ac in tellure, imo etiam potest formam istam momento exuere et dissipare; ita etiam ardentem facem repraesentare, et similia; ut cherubim, seraphim, pastores; ratio est, quia tota forma est animae, ipsa elementa ex circumfluis atmosphaeris illico sumuntur, in suaque [intellectoria et organa disponuntur].

14. Ipsae enim determinationes essentiales formae dependent a principio suo activo et spirituali intus in anima, quae non aufertur ab affectionibus alicujus animi in hos aut illos impetus, sed solum ad usus, qui necessarii sunt, novitates et varietates curiositatesque amare est animi, mentisque rationalis, quibus nihil non incognitum est, non autem animae, quam nihil usque latet; quare ejus cupidine non aufertur. Id consectarium est, quod anima sibi intellectoria formet, quae in concinnos ordines disponat, absque enim ordinatione, seu subordinatione et coordinatione nihil intellectuale consequitur, ideo quod ipsa forma corporis sit pure coelestis sequitur, qualis est intellectorium, num autem vorticalis, licet quidem suspicari; sed haec in secretis sunt; non nisi quam conjecturae sunt; quis haec vidit, ratio haec solum suadet; quando animae vivimus, nos ipsos fortassis ridebimus, quod tam infantiliter divinaverimus.

15. Non credendum est, quod anima sapiamus sicuti dum vivimus mente nostra rationali seu intellectu humano, cui plus ignorantiae quam intelligentiae inest, haec mens, seu cogitatio nostra, qualis nobis apparet, prorsus exstincta est, et remanet vita animae, quae nihil ignorat, sed ex se omnia novit, quare est ipsa scientia et intelligentia pura, quae nec loquitur et sua sensa per loquelam seu voces, quarum totidem sunt ideae materiales, exprimit, sed singula quae usque rem tangunt, simul complectitur: intelligentia enim animae est qualis in sene et adulto, talis in infante, estque illa quae influit in nostram cogitationem, nosque facit intelligere posse, et philosophice connectere omnia quae cogitamus. Ergo post mortem non talis

est impurus intellectus; sed dum anima a corpore evolat, est tanquam a densa quadam umbra in apricum, seu ex umbroso carcere in Romam, seu universum orbem, seu quasi caecus in visum; nam mentis nostrae veritates sunt merae hypotheses, principia fallacia, apparentiae, opiniones, et similia, animae vero sunt ipsissimae veritates.

16. Sed anima quatenus est intelligentia pura, et essentia spiritualis, est supra omnes scientias et doctrinas, illae enim sunt naturales et longe infra stant errantque ruditer, quarum arcana novit anima, quae mens nusquam penetrat, sed jugi approximat; ipsa enim arcana mens non melius eloqui potest, quam algebra infinitorum series suas, per differentialem calculum longa serie expressas, nec datur copia per calculum integralem reducendi. Ita quoad statum intelligentiae una anima alteri est prorsus similis.

17. Sed quod statum ejus sapientiae attinet, una anima nusquam absolute similis est animae alterius: una enim amores perfectiores et puriores recondit, scilicet numen suum supra seipsum, et socium ut seipsum amat: sic unius anima divinis amoribus regitur; alterius vero amat contraria, et odit quod altera amat, sic potius est diabolica: ex recensione amorum spiritualium patescit, quantum differre queunt animae; proinde sunt animae divinae seu ad societatem divinam pertinentes, et sunt animae diabolicae, seu societatis infernalis; omnes nihilominus perfectissima intelligentia veri bonique, sed amore vel odio veri bonique gaudent.

18. Hanc naturam trahunt in vita corporea, et quidem mediatione mentis rationalis, tunc enim anima est in statu formationis suae ad statum bonum malumque, non vero ad intelligentiam veri bonique; quomodo afficiatur anima, supra est indicatum; tum etiam quae media divina concurrere debeant ad statum animae vel emendandum vel perficiendum, integriorem illam reddendi, eique imaginem pristinam divinam restituendi; at vero quum decesserit corpus et exstincta sit mens rationalis, tunc anima humana formata est, et quanta qualisque est, in aeternum permanet: nihil enim adest quod illam amplius emendare potest, nullus est influxus a mente tali, quae mutabilis est, et quae potest perfici et depravari, mens ratio-

nalis sola id potest, nulla est pugna inter illam et animum, aut inter utriusque amores, proinde nulla victoriae spes, intelligentia est pura perfectissimaque, eique sic nulla mutabilitas inest, qua alius status animae induci potest: non est annexa alicui formae organicae, cui obtemperet, verbo qualis est talis manet anima in aeternum, scilicet respective ad amores et odia spiritualia, consequenter quoad felicitatem aut infaustitatem aeternam.

19. Nec id fallere potest animam quin sciat omnia illa, quae usque peregerit ejus mens in corpore, seu quid anima media mente patraverit in mundo, quando ejus incola fuit: quum intelligentia est pura, necessum est, ut resciat et consciat singula quae alicui veritati et bonitati insunt, aliter non foret pura, sed ignorantia mixta; ex mutatione sui status seu ex ipso statu suo acquisito novit omnes causas, quae infinitae sunt, nulla enim actiuncula, voluntarie producta, id est nulla non voluntas ejusque desiderium et finis non afficit animam, et aliquid ad statum ejus contribuit, proinde ex ipso suo statu cognoscit omnem causam, et optime novit quod ipsa sua mente rationali in causa fuerit: ac optime pervidet, quid sibi immineat; sive felix sive infelix.

20. Ergo memoria praeteritorum gaudet, non qualis est memoria et reminiscentia nostri sensorii, quae ideis materialibus et imaginibus alligata est, sed qualis pura et perfectissima, ut ne minimum momentum actae vitae illam lateat, ne quidem vocula, quae ad mutationem ejus status contribuerit. Id enim non ex quadam memoria, sed ex ipso suo statu intelligit; omnia enim ei praesentia sunt, quae praeterierant, imo in naturalibus, ubi nexus causarum et contingentium est, est praesentia omnium futurorum: hoc fluit ex solo intellectu, quid intelligentia pura.

21. Ipsa anima non melius suum statum mutare potest, ac corpus suum vultum deformem, ora distorta, gibbositatem, aut musculus quod distortus sit, et alium statum induerit, id omne tanquam naturale corpori inhaeret; et quo magis se vult emendare, eo magis deformat, sic conscientia sui tangitur.

22. Interim anima in tali intelligentiae statu constituta, non potest non conscire omne id quod in coelis et in terris con-

tingit: in coelis per communicationem operationum, quae non potest non perfectissima dari, quum talis detur mentium in hac vita, et quaedam sympathiae species inter amicos et affines; qualis communicatio animarum detur, id etiam describi potest, anima enim in perpetua intuitione rerum praesentium simul et praeteritarum versatur, intercedit aura coelestis, et spiritus omnium communis, quo medio non possunt non communicari alius operationes cum alio, caeteroquin absque communione non foret nexus animarum per amorem: comparari hoc potest cum auditu et visu nostro corporeo, sunt enim aurae seu atmosphaerae quae ad omnem distantiam communicant ea quae remotissime peraguntur, imo visus capit res objectas ab usque sole; quid non anima, quae est intelligentia pura, nonne sentiret singula quae in aliis animabus, ubicunque sint, peraguntur. Ex nexu argumentorum sequitur haec communio, ex concessa aura coelesti, spiritu divino omnia colligante, amore mutuo ejusque effectu, sed haec communicatio non comparari potest cum communicatione hac per sensus corporeos, visum et auditum; nihil enim latere potest animam, quod in universo peragitur, visus intellectualis non nisi cum limite universi terminari potest; ut ex visu oculari patet.

[Hic est lacuna: post autographi folium 109. sequitur fol. 111. Argumentum folii 110. quod folio sequente 111. continuatur, videtur fuisse:

De coelo seu societate animarum felicium.] ...

sit discrimen animarum mentiumque, perpetuae dissensiones, lites, controversiae, tam in philosophicis quam theologicis, inque mundanis et corporeis, ut nusquam unus animus cum alterius concordet, ideo tot schismata et haereses tolerantur, et tot controversiae, quae tanquam ex singulari Dei providentia toleratae sunt, et simul tanta potestas diabolo relicta, ut animos mentesque disjungeret, et sic unicuique animae suum statum specialem imprimeret: haec etiam causa fuisse videtur, quod permissum sit Adamo committere peccatum: in universali enim antiquitate nullius anima distinguitur ab alterius, sic nulla societas: ex hac causa etiam fluere videtur, quod tam stricte vetitum sit parentibus cum filiis filiabusque inire matrimonium, et

fratri cum sorore se jungere, et plura, quae conjungerent animas: tum etiam quod matrimonia in Deo pacta confirmataque dicantur, ad minimum infinita providentiae Divinae indicia in matrimoniis ineundis exstant: tum quoque, quod Deus cuivis suum liberum agendi arbitrium relinquat, et quasi sanciverit ne hilum quidem libertatem alicujus laedere, sed potius permittere ei in suam perniciem aliorumque ruere; ipsa enim libertas mentium humanarum est unicum medium disjungendi animos, proinde etiam animas, quae afficiuntur.

6. Ergo in distinguendis singulis a singulis Providentia Divina maxime operatur, nam ut societas perfectissima animarum existat, est ipse finis creationis; ultimus enim finis debet esse ille qui primus et ultimus fuit creationis, caetera omnia sunt media quae ad hanc finem tendunt, uti apparet si singula examinemus; ipsa progressio mediorum vadit usque ultra naturam; annon quis dicere potest quod societas terrestris possit esse finis ultimus, cum corpus sit propter animam; annon aliquis ulterior finis erit, propter quem anima, et propter quem coelum et universum, annon potest alius finis dari quam ut societas et regnum Dei existat, quod ex omnibus animabus humanis constituenda sit. Haec ita clara sunt ut nec sciamus an in dubium queat vocari; tam manifesta, ut ex singulis quae in mundo existunt, confirmari possit.

7. Ergo quum nulla anima alteri absolute similis sit, sed inter omnes intercedat aliqua status differentia, seu diversitas; id non obtinuit solum propter causam ut distinguerentur animae a se mutuo, sed ut perfectissima societatis forma inde exoriretur; in perfectissima societatis forma esse debet non solum omnium varietas, sed talis varietas ut ita singulae concordent, ut simul societatem constituant, in qua nihil deesse potest, quod non in aliquo inveniatur, talis forma est in ipso mundo atmosphaerico, seu in macrocosmo, talis est in unoquovis corpore inter partes constituentes, fibras scilicet, glandulas corticales, et plura, hanc varietatem voco harmonicam, scilicet ut omnia varia se mutuo ad se per quandam analogiam naturalem referant, et sic constituant societatem, quae sit una: nihil enim coalescere potest, et quasi unum seu unam formam constituere, nisi inter determinantes et determinationes sit analo-

gia, exinde nascitur conjunctio, quare harmonia grata est et conjungit, disharmonia vero ingrata est et disjungit: ita forma regiminis nequaquam dici potest quod perfecta sit, nisi sit varietas et in ista harmonia, qua unus se secundum leges naturales rite referat ad alium; ipsa similitudo analogica seu harmonia aequalitatem, identitatem et unionem simulat; aliter perfectissima societas, seu societatis forma institui nequit.

8. Sed varietas illa harmonica non consistit in animarum varietate externa, sed in varietate spirituali, et amoris erga Deum et suum proximum, nam status animae concernit unice statum ejus spiritualem, ut scilicet proximus sit suo Deo. Quamdiu aliqua differentia aut aliquod discrimen deest, adhuc aliquis locus in coelo deesse dicitur; sic ut omnes differentiae sint replendae, antequam forma possit perfectissima existere.

9. Num autem societates plures, et quasi plures coeli futuri sint, ex quibus societas universalis, quae vocatur regnum Dei, exstitura sit, id videtur etiam posse induci, omnis enim varietas etiam spiritualis ponit aliquem ordinem, subordinem et coordinem, sic ut in terra se referat una societas singularis ad alteram et simul sumtae regnum constituant, id concludi posse videtur ex posita aut concessa varietate status animarum. Ut enim forma regiminis sit perfectissima, necessum est, ut omnes societates inter se harmoniam producant generalem, uti singula membra particularem.

10. Hoc dicitur regnum Dei, ipsa vero civitas Dei est in hac terra, quae est seminarium istius regni; quae non alligata est alicui certae religioni aut ecclesiae, sed per universum orbem distributa, ex omnibus enim Deus sua eligit membra; scilicet ex iis qui Deum supra seipsum et socios ut se ipsos effective amaverant; haec enim est lex omnium legum, eo collimant jura tam divina quam naturalia, caetera omnia sunt media quae illuc ducunt; ita formae istae ecclesiasticae et plura, hanc suam ecclesiam Deus ex universo orbe colligit, usque dum omnia loca occupata sint, seu dum aliqua differentia supersit, quae in forma regiminis necessaria sit, ut perfectissima evadat.

11. Talis societas absque suo capite seu principe dari nequit; qui scilicet homo fuerit, absque reatu, et crimine, omnium affectionum animi victor, ipsa virtus, ipsaque pietas,

et amor Dei supra seipsum, et socii ut proximi, et sic in ipso Divinitas; in quo scilicet universa societas repraesentaretur, et per quem membra societatis suum numen possent adire; absque tali rege animarum, frustra potuisset societas colligi, existere et subsistere. Hoc etiam sequitur necessario ex concessa forma regiminis, et uniuscujusque disparitate status, et proximitate Dei per amorem, tunc forma ista constituenda omnino foret a purioribus omnis gradus, consequenter a purissimo, qui absque peccato fuerit, id est, a Salvatore et Conservatore nostro Jesu Christo, in quem per fidem et amorem unice approximare possumus throno Divino.

12. En formam regiminis societatis seu societatum coelestium, seu regnum Dei paucis adumbratum, ipsa forma regiminis non potest prorsus differre a forma regiminis perfecta societatum terrestrium, duntaxat in eo quod [quicquid] in hac societate imperfectum est, ibi sit perfectissimum, quodque amores spirituales sint, qui dignitates distribuant, et quod proximiores suo principi sint; sic etiam unusquisque suum coelum possidet, et sua felicitate gaudet.

13. In tali societate non potest non regnare omne gaudium, faustitas, felicitas, cum intima amoris et virtutum essentia et delitiosissimo sensu referta; sed felicitatem et gaudia ista describere nulla lingua potest, nam infinitis parasangis superant corporeas [delitias], quae tales sunt, ut respective stent tanquam umbrae aut flocci delitiarum, et vix in aliquem numerum venire debeant; si delitiae humanae, quae innocuae sunt, ad supremum gradum exaltentur, vel ad intimum concentrentur, tunc aliqua idea ejus concipi posse videtur: est societas universalis, cujus unitates per myriades numerandae sunt, est omnium communio perfectissima, seu consociatio integra mentium spiritualium, sic ut quicquid in una mente sit, commune sit alteri, et sic una anima in societate, ita omnis in universo dabilis varietas quae diffundit et simul concentrat felicitates mentis; in unumquemvis societatis faustitas concentratur, et ab unoquovis in societatem diffunditur, et adhuc multiplicatur infinities si plures sint societates, quae inter se quoque formam regiminis et varietatis constituunt. Quicquid enim usquam jucundum fuit in vita, et simul purum, id ad ultimum gradum est exaltatum; nec com-

municatio mentium per loquelam, sed per activitatem quandam mentis, unde loquela angelica, quae nec unicum quid per voces aut ideas materiales exprimit; sed simul et una operatione quae per millia vocum potuissemus. Visus non est ocularis, sed intus ut sciamus quid in universa societate cum infinita illa varietate peragat; est etiam omnium praeteritorum intuitio tanquam praesens, scilicet ope omnium divinans quae usquam fuerant in terra; universi coeli repraesentatio; verbo infinitae varietates quae animas usque in ineffabiles laetitias effundunt: nec est amor impurus, sed amicitia pura, quae loco ejus succedit: non est futuri cogitatio, desiderium, spes, anxietas, omnia sunt absque anxietate, et absque timore jacturae, constantissima, aeterna: hinc veneratio et adoratio sui numinis, quibus resonant coeli coelorum, inde caeterae spirituales delitiae ad altiorem adhuc gradum elevantur: sed haec paucissima sunt; nam ineffabilia sunt. Talis videtur esse vita, quae vere est vita, distinctissima, vita vero corporea, est modo repraesentatio ejus vitae, umbra et somnium: vivere enim est intelligere et sapere, perque amorem cum illo qui est ipsa vita, vivere, est ipsum vivere.

14. Ex his sequitur quod unanimo consensu conspirent in gloriam sui Domini, et amorem civium in coelo et in terra, elevatur enim gaudium secundum numerum sociorum, et simul laetantur amore intimi, quod regnum Dei auctum sit, nam id effectus est utriusque amoris. Porro ex tot mentibus puris conflatur animus communis societatis, sicut in nostro corpore, nam ex mentibus intellectoriorum conflatur noster animus: similiter etiam intellectus communis; quem vero influxum habeat animus communis in nostras animas, id abs re est heic describere; communicatio enim istius societatis nobiscum non fit nisi per animas. Ergo veniat regnum tuum, et fiat voluntas tua in terra ut in coelis.

De inferno seu societate animarum infelicium.

Societas illa quae contrariis amoribus seu odio contra Deum sociosque vivunt, vocatur infernalis, diabolica, infelix; exstitura omnino, ut omnis varietas inter duo opposita sit; et

quidem actualiter, nihil enim in animae spirituali idea dari potest, quod non actualiter existat, quia anima est intelligentia pura, nec ullis ignorantiae umbris obstipata; nec intermedia queunt absque suis oppositis existere, qualia enim sunt relationes ab oppositis cognoscuntur: ergo actualiter existit diabolus, societas infernalis, seu quae amore societatem coelestem dissipandi flagrans; absque tali societate mala nec beati ullo zelo et ardore accenderentur, et animae ad ecclesiam tutandam ardescerent; seque sic feliciores ex contrariis sentirent.

Ad hanc societatem accedunt omnes animae, quae Deum proximumque odio habent, ex quibus principiis omnis generis flagitia et facinora emanant, scilicet ex amore suo; conspurcati sunt vitiis, et ipsi sua conscientia intime cruciantur, quando veritates apertis oculis intuentur, quas in hac vita per speciosas argumentationes et sophisticas rationes dissipare conantur; at quando nulla adest ignorantia, sed cognitio nuda veritatum, uti post mortem in animabus, et quando status animae jamdum deformatus est, naturamque illam traxerit, ut in statum formosiorem redire nequeat, tunc non potest non angi et torqueri intime et penitissime: et quia est in anima, et dolor spiritualis, nullis describi verbis vel concipi ideis potest, superat enim flammam, stridores dentium, et plures alios telluris cruciatus, tanquam perpetuo aheno oleo suffuso ardenteque aestuanteque intus cruciarentur.

Quod etiam haec societas suo duce et principe sit instructa, non negari posse videtur, quia simul unam societatem seu infernum constituunt, absque enim duce rueret unus in alterum tanquam Erinnyes et furiae, nullus amor superior, nec mutuus animas conjungit, solus timor sui ducis seu principis, cui fortassis data est potestas subditas animas cruciandi, quoties non munere suo funguntur: et videtur quamdiu societas sit, adhuc aliquam spem superstitem esse coelum debellandi, et se in thronum exaltandi, resciunt quidem imposibilitatem, sed nihilominus purum odium suadet; ita quamdiu aliqua spe laetantur, et ex incremento suorum augescit, tunc videntur aliquo modo laetari, sed non intime, modo superficietenus, sicuti invidi a quodam infortunio cujusdam ignoti intime anguntur, quia sciunt [se] miseros in aeternum futuros.

At vero in ultimo judicio, quando jubar omnipotentiae, omnipraesentiae, sapientiae, justitiae, amoris divini plenissime effulget, ut quisque in se suoque statu clare conspicari possit vitam suam anteactam, et absque sententia scire quo supplicio dignus sit, omnia enim tanquam in media luce apparebunt, scilicet in tali sapientiae lumine; tunc societas haec spem omnem amittet, et coram oculis aeternam suam perniciem contemplatura, et simul dum non solum regnum Dei sed etiam felicitatem membrorum istius societatis plenissime et pure contemplaturus est, sequitur quod odium in invidiam, et invidia in miseriem et anxietates transitura sit: et quod tunc disjecta societatis forma ex insito odio tanquam furiae ruat in alteram, et per communionem istarum animarum, quae concordant in odio erga societatem coelestem, etiam discordant inter se, ita unus futurus est alterius diabolus, cum remissis fraenis cum libertate; fere ac in terris, quando libertas non refraenata est.

Maxima haec societas erit, at post judicium nulla societas, et tametsi foret, nihil tamen valet contra minimam societatem coelestem, sunt enim amore mutuo conjunctissimi, et quidem sub amore divino copulati; infernales vero animae sunt modo sub suo principe unitae, praeterea nullo amore mutuo connexae, sed perpetuo odio disjunctae, et praeterea a Deo unitore separatae, sic exigua manus animarum coelestium, integrum exercitum animarum impiarum profugare valet; cumprimis quum ipsae se ipsas timeant fugiantque veritatem, quam in se contemplantur, ita absque fiducia; proinde una anima beata potuisset fugare plura millia animarum infelicium.

Veteres tam philosophi quam physici, sacerdotes pagani communi consensu confirmarunt cruciatus infernales, illorum poenas, Tantali caeterorumque, tum Erebum, Styga, Erinnyes, furias describunt: Pythagoras, Plato caeterique adhuc plura de illis cogitarunt; lumine enim suae naturae conspicati sunt, quod nequaquam felices potuissent esse, qui non in hac vita sibi viam per virtutem ad felicitatem praeparaverint.

De Providentia Divina.

Nemo, ut reor, eo usque insanit, ut directionem quandam

supremam seu Providentiam divinam neget, omnia enim numine plena sunt, et in omnibus ac singulis admiramus ordinem, qui naturae tribuitur, ejusque perpetuam conservationem, non ex se, quod absurdum foret, sed a superiore quodam, a quo exstiterat, et consequenter subsistit. Confundimus copiam phaenomenorum providentiam rectricem confirmantium, sicuti quod omnia appareant esse propter usum et finem, conspicue unus finis propter alterum, sic ut series sit finium a quodam primo per intermedios ad ultimum seu primum; sed ab exemplis, ipsa tellus est ut incolatur ab animantibus, regnum minerale ut producat vegetabile, vegetabile ut nutriat sustentetque animale; species inferiores animalium ut serviant superioribus, atque omnes generi humano: atmosphaera ut circumfundamur, contineamurque corpore, respiremus et loquamur: aether cum sole ut singula subsistant ut et videamus: caetera quid referam, non datur vermiculus, nec datur herbula aut graminulum absque usu, ut scilicet inserviat pro medio ad aliquem finem: sic ut mundus aspectabilis sit complexus mediorum ad finem ultra mundum seu ultra ejus naturam; progrediuntur enim fines per effectus naturales, et sic per universam naturam. Quod talis sit perpetuus respectus et progressus finium, scilicet quod unum sit continuo propter alterum, id supremae providentiae acceptum ferendum est; scilicet quod Deus singula providerit, ut singula suum ordinem teneant.

Quatenus universum cum singularissimis in universo sit solius Dei opus, nihil enim ex se confluere posset, quid enim absque origine potest existere, si origo foret naturae, unde tunc natura, nisi illam ut Deum colas; sique illa sint Dei opus, necessum est ut illa sustineat, absque enim perpetua sustentatione omnia in suum primitivum chaos relaberentur, proinde quod ille sit omnipraesens actualiter, omnisciens, omnipotens, sique omnipotens, sequitur quod provideat singulis, ut sint fines intermedii ad ulteriorem: regere universum et providere est ipsum Divinum ejusque proprium, nec consilio et cura opus habet, a se enim, ejusque essentia, sapientia, amore, nexu, ordine et sua genuina serie consequuntur.

Si datur Providentia Dei universalis, etiam datur singularis, nam universalis nusquam datur absque singularibus, a qui-

bus audit universalis, quale itaque est universale, judicari potest a singularibus, ita ex providentia in singularissimis, qualis providentia in universali, nec universalis ulla foret, nisi singulis interesset, et quidem cum providentia, ut ad universales fines conspirent.

Omnis providentia respicit finem, et prospicit media ad finem, proinde complectitur futura in praesenti, et praesens tanquam complexum praeteritorum, sic series mediorum ad quendam finem, qui primus sit in mediis, et ultimis; sed qualis sit Providentia divina, ab exemplis potius, quam a nudis axiomatibus videamus.

Finis creationis seu finis propter quem creatus est mundus, non potest non esse primus et ultimus, seu omnium universalissimus, ac perpetuo regnans in universo creato, quod est mediorum ad istum finem conspirantium complexus. Finis creationis non potest alius dari, quam ut existat Societas animarum universalis, seu coelum, hoc est regnum Dei; quod hic finis creationis fuerit, ab innumeris argumentis confirmari potest, absurdum enim foret dicere, mundum esse creatum propter tellurem, et societates terrestres, vitamque hanc miseram et caducam; omnia enim in tellure sunt propter hominem, omnia in homine sunt propter ejus animam, anima non potest esse propter nullum finem, et si propter aliquem, erit propter societatem, cui Deus praesit, nam ejus providentia respicit animas, quae spirituales sunt, ejusque opera hominibus conveniunt, et consociari possunt.

Utque societas animarum seu coelestis existat, necessum est, ut perfectissima sit regiminis forma, scilicet animae inter se distinctae, et inter animas omnis usquam possibilis varietas, quae harmonica dicenda, et sic ex tali harmonia oriatur consensus et concentus, qui omnem illum effectum et finem producat, qui usquam praevisus et provisus sit.

Sit ergo hic finis universalissimus, primus, omnis in mediis, ultimus et sic idem ac primus, videamus jam quomodo regnet Providentia divina in mediis prospiciendis dispensandisque; dici potest, quod Deus potuisset talem societatem illico, absque tellure et mundanis creare; scilicet implere coelum animabus, absque generatione et multiplicatione in hac tellure:

id quidem non potest negari; omnia Deo sunt possibilia, sed sunt etiam innumera quae ei impossibilia sunt, scilicet imperfectum esse, mortalem, inconstantem, malum, injustum, id ejus essentiae repugnat, et quia talis societas, cujus forma sit perfectissima, nequaquam dabilis sit absque omni varietate usque a perfectissimo ad imperfectissimum, a puro ad impurum, ab amore ad odium, seu quia sunt intermedia, ex datis oppositis, scilicet inter summum bonum seu Deum, et summum malum seu diabolum. His concessis sequitur, quod Deus quia ipsa perfectio, sapientia, bonitas, amor, nequaquam potuisset immediate creare quendam diabolum, nec aliquam animam, cui inesset malum, seu aliquis reatus, proinde non hominem, una cum vitio, crimine et peccato, proinde non talem varietatem, quae in tali societate requiritur; quicquid enim immediate a Deo profluit, id non potest non optimum esse, et perfectissimum; at vero quod oriundum sit malum, imperfectum, id originem aut causam immediate non a Deo sed ab ipso subjecto creato, in quo natura est, ducit. Ita ab ipso diabolo quod insurrexerit contra suum Deum, et rebellis fuerit: ipso Adamo quod contra mandatum divinum fecerit, ambiente, se perfectiorem et superiorem existere. Quod providentia divina Adamum non immediate duxerit ad istud malum, sed quod permiserit, id admodum clarum est ex scriptura sacra, quod scilicet permiserit serpentem, huic vetuerit arborem, Adamum creaverit liberum, de his non instruxerit, quod eodem momento quum comederet, non illum reprehenderet, ut abstineret, tanquam Abrahamum quum filium suum sacrificaret: et plura, quae clare demonstrant, quod providentia fuerit quod potuisset peccare, et praescientia quod peccaret, et quod integritatem suam pristinam amitteret, et sic quod inde ut a suo principio proflueret, quod animae inter se mutuo distinguerentur, et omnis varietas, quae usquam dabilis est, animarum potuisset existere, et sic finis creationis seu regnum Dei obtineretur, cujus seminaria sunt societates terrestres; quae similiter coelestem illam repraesentant; nam nihil non in hoc mundo datur, quod non contineat repraesentationem mundi futuri.

Ut finis hic obtineretur, necessum est, ut hominibus concessa sit libera voluntas, causa varietatis subjectorum unice ab

exercitio libero et ex voluntatis libertate profluit; absque illa non foret intellectus, nec foret morale, virtus, vitium, crimen, reatus, affectio animae seu ejus status mutatio, quae est causa quod Deus liberam humanam voluntatem fortem inviolatamque usque ad ipsa facinora conservare voluerit, sic ut ipsam providentiam divinam fere ex eodem principio negare velle videamur, ex quo illam confirmaremus; sed humanis mentibus libertas non absoluta sed limitata est concessa; est tanquam volucris, quam auceps pede vinctam et filo alligatam tenet, quae ad certam distantiam potest exspatiari: provisum est ne ultra limites feratur.

Media quae refraenant liberas hominum voluntates, sunt plura, scilicet sunt *societates* earumque regiminis formae, leges, supplicia corporis, judices, omnia facta ob finem ne homines libera sua voluntate abutantur: sunt *conscientiae*, et leges juraque mentibus nostris impressae, quae sunt arctissima vincula. Est *religio* seu cultus divinus, timor suppliciorum aeternorum et condemnationum, et amor spesque felicitatis: haec ideo dicitur vinculum societatis et societatum. Est quoddam *fatum* quod unumquemvis secundum ejus crimina et virtutes continenter sequitur et manet; de quo infra; est insuper causa fati, ipsius Dei per spiritum suum influxus in animas, quae tamen ita contingenter existunt, tanquam non proviso aut consulto. Interim nisi talia media provisa fuissent, et ipse Deus interesset ut rector et stator omnium, nequaquam potuisset societas aliqua humana subsistere, in qua unus semper spirat alterius perniciem, illumque suis bonis spoliare cupit, et in qua plerique se ipsos plus quam societates aestimant, omniaque pro se esse sibi imaginantur; talis societas in se insociabilis, usque subsistit integra, quod absque providentia divina nequaquam fieri potuisset.

Ipsissima Providentia divina principaliter regnat in distinguendis singulis a singulis, ne unus animae status absolute detur similis alteri; ob hanc causam libertas est concessa: matrimonia dicuntur in coelo esse praestabilita, parentum liberorumque, fratrum et sororum conjugia prorsus vetita, schismata et controversiae tam religionum, quam principiorum in oeconomicis, politicis, philosophicis, physicis tolerata, et

fere inspirata: quod differant omnes principiis, proinde etiam animis, quot capita tot animi: ipsa natura ab omni aequalitate altera abhorret, nam id foret unum idem, nec quid distinctum, proinde nec naturale.

Providentia tam singularissime quam universaliter etiam regnat in eligendis prospiciendisque illis, qui felicitatem coelestem consecuturi sunt, genus enim humanum est ipsum seminarium, et Dei civitas aut Ecclesia per universum orbem est sparsa, indeque coelestis societas collecta: ideo peculiari Dei providentia reguntur omnes illi qui electi dicuntur esse.

Hic est finis principalis, et haec sunt media ad istum finem ducentia, sed infinita dantur adhuc media, quae ad essentiam medii constituendam, et sic vel mediate vel immediate hanc finium seriem ingrediuntur, scilicet quoad mundana et corporea, et quoad spiritualia, quoad *corporea,* quod amiciantur seu vestiri queant, ideo universus orbis vestimenta subministrat, imo vermiculi; tum etiam alimenta, ut enim homo vivat corpore, utrumque necessarium est, ideo etiam est provisum. *Mundana* sicuti opes et possessiones, ut civis queat vivere, ac infinita alia, quae in mundo sunt, tum etiam scientiae, et plura. *Spiritualia*, quod revelatum sit quale est coelum, qualis voluntas, quomodo [Deus] adorandus, et quibus mediis animae status perficiendus, ut possit esse membrum coeli; hocque eo modo, ut libertas non sit laesa, sed quod possit se vertere ad Deum.

Sed de Providentia, fato, fortuna, Praedestinatione, Prudentia humana actum est, quae videas addasque.

De Providentia Divina. [Vide locos allatos in *Diario Spirituali*, P. V, 2. pag. 209 — 213.]

De fato. [Ibid. P. V, 2. pag. 111. et *Arcana coelest.* n. 6487.]

De fortuna. [Ibid. P. V, 1. pag. 340. et *Arcana coel.* n. 5049. 5179. 5508. 6484. 6493. 7007. *Sapientia angelica de Divina Provid.* 212. 251. *De Nova Hierosolyma et ejus Doctrina coelesti* 276.]

De Praedestinatione. [*Arc. coel.* n. 6488. *S. A. de Div. Provid.* n. 329 — 330. *Summaria Expositio Doctrinae Novae Ecclesiae*, 66. *Vera christiana Religio*, n. 72. 485 — 488. 628. 798. 803.]

De Prudentia humana. [*Diar. spirituale* P. V, 2. pag. 213. s. *Arc. coel.* 649. §. 5664. 6484. 6692. 7007. 8717. *S. A. de Div. Providentia* n. 197. 206. 208. s. 216. 235. 316. 321. *D. S. de amore conjugiali* 353. s. *De nova Hieros.* 276.]

Mathesis universalis.

Clar: Locke in tract: de l'entendement humain, dicit: „Les idées sur lesquelles roule la morale, étant toutes des essences réelles, et d'une telle nature, qu'elles ont entre elles, si je ne me trompe, une connexion et une convenience, qu'on peut découvrir, il s'en suit de là, qu'aussi avant que nous pourrons trouver les rapports de ces idées, nous serons jusques-là en possession d'autant de vérités certaines, réelles et générales; et je suis sur, qu'en suivant une bonne méthode, on pourroit porter une grande partie de la morale à un tel degré d'évidence et de certitude, qu'un homme attentif et judicieux n'y pourroit trouver non plus de sujet de douter, que dans les propositions de Mathématiques, qui lui ont été demontrées.“ L. IV. c. XII. [§. 8.] et alibi: „Peut être [que] si l'on considéroit distinctement et avec tout le soin possible l'espèce de science qui roule sur les idées et les mots, elle produiroit une logique et une critique différentes de celles, qu'on a vues jusqu'à présent.“ L. IV. c. XXI. [§. 4.] alibi: „Je ne doute point, que dans l'état et la constitution présente de notre nature, la connoissance humaine ne peut être [portée] beaucoup plus loin, qu'elle ne l'a été jusqu'ici, si les hommes vouloient s'employer sincèrement et avec une entière liberté d'esprit, à perfectionner les moyens de découvrir la vérité avec toute l'application et toute l'industrie qu'ils employent à colorer, ou à soutenir la fausseté, à defendre un systême pour lequel ils se sont déclarés, certain parti, et certains interêts ou ils se trouvent engagés.“ L. IV. c. III. [§. 6.] alibi: „Le plus haut degré de notre connoissance est l'intuition sans raisonnement ... car connoissance cer-

taine, à l'abri de toute doute, qui n'a besoin d'aucune preuve, et ne peut en recevoir aucune, parceque c'est le plus haut point de toute certitude humaine ∴ . tel que celui que les anges ont présentement, et que les esprits des hommes justes parvenus à la perfection auront dans l'état à venir, sur mille choses, qui à présent [échappent] tout-à-fait à notre entendement, et desquelles notre raison, dont la vue est si bornée, ayant découvert quelques foibles rayons, tout le reste demeure enseveli dans les ténèbres à notre égard;" L. IV. c. XVII. [§. 14.]

Datur aliqua scientia scientiarum, seu scientia universalis, quae omnes reliquas in se continet, et a qua tam in has quam in illas scientias tanquam partes resolvi potest, talis scientia non addiscitur, sed connascitur, cumprimis animabus, quae intelligentiae purae sunt, talis scientia est animarum a corpore solutarum, et angelorum; qui si cogitationes suas conjungerent, aut colloquerentur, non alligari posse videntur vocibus, quae omnes sunt ideae materiales et formae, quas tanquam signa mens intelligit, quid significent, et quidem ex usu: anima omnes res objectas ex tali scientia contemplatur illico quales in se sunt, num scilicet bonae vel malae, quibus secundum naturam suam annuit vel repugnat: nisi tali scientia instructa foret anima, nequaquam potuisset in cogitationes nostras influere, et illis infundere quasi potentiam superiores intelligendi seque exprimendi; tum etiam non potuisset omnes suas formas organicas ad intimas et secretissimas leges mechanices, physices, chymiae, et plurium conformare: ergo quod talis scientia detur, id non negari potest.

Sunt enim veritates ex priori, seu dantur propositiones quae illico ut verae agnoscuntur, nec ad istas comprobandas opus est demonstrationibus ex posteriori, seu confirmatione ab experientia, sensibus; ipsa veritas se nudam praesentat, et tanquam dictat, quod talis sit, saepe indignatur mens quod tales veritates sint demonstrandae, quando supra omnem demonstrationem sunt: omnes enim harmoniae, tum omnis ordo naturaliter sensuum nostrorum organa mulcet et delectat, disharmoniae vero stringunt [et] laedunt; ita etiam veritates, quibus inest quasi ordo intellectualis; quare si non obruimur scientiarum

nodis, animi cupiditatum turbis, et similibus, potuissemus pure cognoscere veritates, nam quidam consensus tanquam harmonia affulget, et nescio unde ex quadam sacra aede.

Sed hoc venit ex eo, quod formae superiores in se contineant omnia ista quae inesse possunt formis inferioribus, tanquam genus universale omnes species; sic ut forma superior sit ipse ordo et ipsum principium formarum sequentium, proinde etiam omnium istarum virium, modorum, qualitatum; sic ut in se suaque natura sentiant quicquid convenit vel disconvenit formae, proinde omne id quod usquam in formis inferioribus datur, si nexus sit, qualis est animae cum corpore per formas organicas.

Haec scientia quidem sub calculum videtur posse mitti, sed qua ratione, ab istis quae circa sensorium internum contingunt, percipi potest; scilicet omnes ideae tam materiales quam intellectuales non sunt nisi mutationes status sensorii et intellectorii, ipsae mutationes status comprehendi possunt quales sint, ex descriptione formarum, cumprimis circularis et spiralis; anima omnem talem mutationem percipit, et quid significat novit: mutationes status sunt universales et singulares, communes et particulares, generales, speciales et individuae, quae omnes sub calculum quendam algebraicum possunt mitti, et per regulas ad aequationes reduci, pari ratione ac sicut assolet in calculo infinitorum; in ipsa mente quoque rediguntur omnia ad suas aequationes, in quibus simul insunt, quae successive prius collecta sunt aut subierunt: haec quae in sensorio interno contingunt, reduci possunt ad potentias altiores seu elevari ad gradus superiores per suas regulas, et sic universaliores existunt status mutationes, quae infinite plura singularia simul et successive continent, quaeque correspondent ipsis veritatibus, quas anima ex mutationibus status percipit.

Ita quidem possibile est, ideas mentis sub calculum mittere, unde mathesis universalis exsurgit, sed non inde aliqua certitudo potest deduci, nisi certitudo sit proposita et agnita, ex qua aequationes inchoandae sunt: voluissem etiam unum alterumve tentamen proponere, compertus quidem sum possibilitatem, sed plures praemittendae sunt regulae, proponenda data, et concinnandae veritates, antequam illam aggredi possum; et

usque tandem in quendam nodum Gordianum seu aequationem incidimus, ex qua nos enucleare plus laborum requiritur, quam ut operae pretium sit ei incumbere; et ex minimo errore calculi in plures fallacias possumus incidere: hanc ob causam missum facio tentamentum hoc, et loco ejus proponere volui quandam *clavem arcanorum naturalium et spiritualium per viam correspondentiarum et repraesentationum*, quae compendiosius et certius nos in veritates absconditas ducit, quae doctrina, quia hactenus orbi non innotuit, aliquantum diutius ei immorari debeo.

NOTAE CRITICAE
EDITORIS.

Pag. 1. l. 14. sum, nisi legeris fui; l. 28. illam legi pro illa.

— 2. l. 4. emersi pro emensi; l. 6. est pro est est, nisi legeris et est; l. 8. seu: lectio dubia; l. 18. debui pro debuit; l. 34. enitamur pro eniteremur, ut videtur; l. 36. subjectae pro subjectam; l. 38. interest pro intestest.

— 3. l. 18. possumus pro possum; quae post Praefationem, i. e. post l. 30. sequuntur transposui ad p. 5. l. 32. usque ad p. 6. l. 26. scilicet verba Ergo fibra etc. usque ad arachnoidea.

— 4. l. 13. Fibra pro Fibrae; l. 14. emittunt pro emittut; l. 16. Ideo pro Idea; l. 27. fibrarum secundarum pro fibr secund; l. 30. s. formarum pro formar.

— 5. l. 31. dependent ab illo pro dependet ab illis. Quae nunc sequuntur verba l. 32. usque ad p. 6. l. 26. (Ergo fibra etc. usque ad arachnoidea) immediate post Praefationem exstant, sine dubio a bibliopego transposita.

— 7. l. 24. sint pro sen, ut videtur.

— 9. l. 16. tractatione pro tractione (potius lenistione, vel lenisione, lenifione, ut videtur): lectio dubia: forte transactione; l. 21. unam pro unas, ut videtur; l. ead. certas: lectio dubia; l. 30. quin pro qui; l. 31. continuata pro continuatae: legerim continuati.

— 10. l. 10. ibi pro ubi.

Pag. 11. l. 17. internae pro internis, ut videtur; l. 30. suum contribuunt pro su contribuit, ut videtur.

— 12. l. 18. et pro est.

— 15. l. 13. quod pro quo; l. 14. per pro per per; l. 15. s. liberatus pro liberata; l. 17. compressum pro compressa.

— 16. l. 15. transeant pro transeat.

— 17. l. 1. adblanditiae pro adblanditio, ut videtur; l. 6. sui pro suae; l. 14. lustramus pro lustrantur.

— 19. l. 17. s. debent pro debemus; l. 19. peripatetica pro peripatica; l. 21. post iste deleverim non; l. 25. sunt pro sin, ut videtur.

— 20. l. 22. qui pro quid.

— 21. l. 16. sint pro sit.

— 24. l. 2 infr. natura pro naturae.

— 25. l. 8. haec, nisi legeris hae; l. 30. sensus, nisi legeris sensui; l. 31. quae cum pro quaecum, ut videtur.

— 27. l. 16. ipsius pro ipsi, ut videtur; l. 19. mutatio earum status statim cerebro pro mutatio earum status statim mutatio status cerbro; l. 5 infr. a graviori quum: lectio dubia.

— 28. l. 8. ac: lectio dubia.

— 29. l. 7. illico: lectio dubia; l. 11. totius: lectio dubia; l. 3 infr. gustus pro olfactus.

— 30. l. 1. simul pro non simul; l. 12. sunt pro sunt sunt.

— 31. l. 20. Ita semideletum est; l. ead. quantum pro quantus; l. 2 infr. Highmoriana pro Higmoriana.

— 32. l. 9. trahit pro trahunt; l. 30. excitat pro excitant.

— 34. l. 20. praeter alia: lectio dubia.

— 35. l. 31. s. arripiunt et imbibunt, ... respuunt et evomunt pro arripiant et imbibant, ... respuant et evomant, ut videtur.

— 36. l. 33. s. ginglymis pro gynglymis.

— 37. l. 1. propagentur pro propagetur; l. 24. ab ejus pro a ejus; l. 31. frangat pro frangant.

— 38. l. 3. ante proinde semideletum est et; l. 15. pos-

sunt pro potest; l. 21. variam pro varia; l. ult. etiam pro etiam ad.

Pag. 39. l. 5. placeat pro placet; l. 29. lateat pro latet.

— 40. l. 26. ante quae delevi modo, ut cum deletis cohaerens; l. 27. dant pro det.

— 41. l. 22. sui ... inflatus: lectio dubia.

— 43. l. 15. trementi pro trementis, ut videtur; l. 24. captandum pro captand, ut videtur.

— 44. l. 19. fere pro sane vel pene.

— 45. l. 1. prospiceret pro prospiceet.

— 46. l. 8. s. ponunt ... excludunt pro ponant ... excludant, ut videtur; l. 17. judicans, nisi legeris sulcans.

— 47. l. 12. limbis: lectio dubia; l. 15. concentrantur pro concentrant; l. 32. concinnant pro concinnat.

— 48. l. 30. s. sinuent pro sinuant.

— 49. l. 11. imagines pro imagine.

— 50. l. 7. est pro quae.

— 54. l. 22. ferant pro ferat; l. 25. acta, nisi legeris orta.

— 56. l. 17. Viti pro vitis, ut videtur; l. 19. exinanitis pro exinatis, ut videtur; l. 19. reditu pro resonitu, ut videtur; l. ult. etsi pro etc., vel aliud: lectio dubia.

— 57. l. 26. induendum pro induendi.

— 58. l. 31. sit semideletum est.

— 60. l. 2. nostro pro nostra, ut videtur; l. 15. s. peripatetica pro peripatica.

— 64. l. 5. cogitationum pro cogitionum; l. 31. inest pro inst.

— 65. l. 9. quam redundat, ut alibi saepe; l. 11. significet pro significat.

— 66. l. 15. mechanica pro mechanice, ut videtur; l. 28. naturalis: nisi legeris naturales; l. ead. philosophiae pro philosophicem; l. 33. ante licet semideletum est et; l. 36. ac pro a.

— 67. l. 13. intercedat pro intercedit; l. 32. generalium pro singularium: confer p. 68. l. 1. s.

— 68. l. 13. proprio marte, sic! nisi legeris propria mente; l. 14. exempla pro exepla.

Pag. 69. l. 1. significationes pro significates; l. 21. cum semideletum est; post hoc cum delevi et.

— 70. l. 3 infr. ferat pro fert.

— 71. l. 16. peragatur pro peragitur; l. 19. ante speciales semideletum est et; l. 29. possint pro posse; l. 33. induere, sic! sed legerim inducere: confer infra l. 35. producere.

— 72. l. 24. 35. significet pro significat; l. 27. producatur pro producitur; l. 29. suecice pro suetice, ut videtur.

— 73. l. 8. fractioribus: lectio dubia; post id semideletum est et; l. 23. constet pro constare; l. 28. perficiatur pro perficitur.

— 74. l. 3. s. carcere pro carcee, ut videtur.

— 75. l. 14. communicet pro communicat; l. 18. quam externa pro quam interna; l. 20. intercedat pro intercedit.

— 76. l. 7. repraesentetur pro repraesentatur; l. 37. post animum superpositum est et.

— 77. l. 29. s. appellunt pro appellit.

— 78. l. ult. ideo pro ex ideo.

— 79. l. 6. disturbant pro disturbat; l. 7. mutant pro mutat; l. 36. usu pro usum.

— 80. l. ult. haec nota exstat p. 79. l. 28 — 36. in margine sinistra.

— 81. l. 20. quod pro quae; l. 3 infr. producat pro producit.

— 82. l. 16. mutandi pro mutare; l. 4 infr. illud pro illum.

— 83. l. 5. intellectorio pro intelligentorio; l. 17. concurrit: melius concurrat; l. 21. communicet pro communicat; l. 31. constet pro constat; l. 33. trahat pro trahit; l. 36. ducat pro ducit.

— 84. l. 6. parallelogrammum pro paralelogrammum.

— 85. l. 13. qui pro quae.

— 90. l. 6 infr. inque pro exque.

— 91. l. 11. salivales pro salivares, ut videtur; l. 20. quasi pro quasi quasi; l. 34. contentum pro contentus.

Pag. 92. l. 19. cacochymia pro cachochymia.
— 93. l. 6. contentum pro contentus; l. 10. quae pro qui.
— 94. l. 32. ecstases pro exstases; l. 38. concessa pro concessus.
— 95. l. 21. habet pro habent.
— 97. l. 26. Erinnyes pro Erynnides.
— 98. l. 5. hic: lectio dubia.
— 101. l. 25. s. amicitiae [cum] consanguineis pro amicitia consanguin.
— 107. l. 17. corporis pro corpois, ut videtur; l. 26. etiam semideletum est.
— 109. l. 29. possunt pro potest; l. 35. ante titulis semideletum est et.
— 110. l. 16. nihili pro nihila; l. 21. significant pro significat.
— 111. l. 16. praestent pro praestet; l. 19. dant pro det; l. 25. abstracta pro abstracte vel abstracto.
— 112. l. 23. ante insectis semideletum est in.
— 113. l. 6 infr. nam: lectio dubia.
— 114. l. 12. quia, nisi legeris quin.
— 116. l. 27. ut pro qui ut, ut videtur: lectio dubia.
— 117. l. 13. sunt semideletum est; l. 14. intercedit, nisi legeris intercedet.
— 120. l. 4. spuria pro spurio.
— 122. l. 10 infr. zelo, est pro zelo, et.
— 123. l. 31. s. Veritates ... gratia, nisi legeris veritatis ... gratiae.
— 124. l. 10. animi irae pro animae ira; l. 23. aenea pro aerea.
— 125. l. 25. intepescere pro intepesceree.
— 127. l. 25. s. aestimant pro aestimat.
— 128. l. 7. s. confercitur pro confarcitur.
— 129. l. 6. ipsa: legerim ipse, scil. ignis; l. 27. s. reviviscat pro rediviscat.
— 130. l. 6. queunt pro nequeunt; l. 10. ingeneratum pro ingeratum; l. 13. Misanthropus pro Misenthropus; l. 17. solus pro solu; l. 23. antipathiam pro anthipatiam.
— 131. l. 5. faciant: legerim faciunt.

Pag. 132. l. 2. dari pro non dari; l. 27. sic pro sit; l. 31. animi pro anim.

— 135. l. 1. alteri pro altei; l. 31. post, quod deletum est, restitui; l. 33. cohaereant pro cohaereat; l. 36. inspiciamus pro inspicimus.

— 136. l. 10. animi pro animae, ut videtur; l. 16. qui pro quae, ut videtur; l. 20. vultui pro vultu; l. 21. omni rei influenti pro omn rei influ, ut videtur: lectio dubia.

— 137. l. 29. qui pro quae.

— 138. l. 11. perceptio pro perceptio, at; l. 25. s. animum pro alterum, ut videtur: lectio dubia, sed confer p. 139. l. 12. s. p. 147. l. 36.

— 139. l. 20. haec pro est haec.

— 140. l. 26. rei pro re; l. 27. mens pro onens, ut videtur; l. 33. post quandam semideletum est affine.

— 141. l. 1. laedatur pro laeditur; l. 2. moriturus pro moritus; l. 12. ante sequitur delevi ex, ut cum deletis cohaerens; l. 20. correspondent pro correspondet.

— 143. l. 18. animo pro animo vel.

— 144. l. 6. nostra pro nostrae; l. 8. qua pro quo; l. 18. seu pro sed; l. 2 infr. eligendi pro eligere.

— 145. l. 10. ad pro se ad; l. 12. s. quiremus pro quiemus, ut videtur; l. 16. 32. quam: melius nisi; l. 35. animi pro anim, ut videtur.

— 146. l. 28. exempla pro xempla, vel alio.

— 147. l. 10. quam: melius nisi, ut alibi.

— 148. l. 16. subinfluunt pro sub influunt, nisi legeris sui influunt.

— 150. l. 8. solio pro solo, ut l. 3.; l. 11. corporeis pro corporis.

— 151. l. 3. liquido, nisi legeris liquide; l. 19. dici pro dari, ut videtur; l. 30. quod pro qui.

— 152. l. 29. post mente semideletum est et.

— 153. l. 9. s. resideat pro residet; l. 2. quam redundat.

— 154. l. 23. physiognomia pro Physionomia; l. 25. extispicia pro exstispicia; l. 30. desideravimus pro desideravis.

Pag. 155. l. 5. exsurgit pro exsurgat; l. 12. fidit, nisi legeris fidet.

— 156. l. 5. amat pro amant; l. 14. oderunt pro odit; l. 16. contrarii, nisi legeris contrarius; l. 25. ambitionis pro ambitione.

— 157. l. 8. odisse pro odi; l. 10. odimus pro adimus, ut videtur; l. 11. esse pro est.

— 158. l. 25. odisse pro odi; l. 28. post ille semideletum est est.

— 159. l. 27. contribuunt pro contribuit; l. 30. fit pro sit.

— 160. l. 10. quam: melius nisi; l. 19. cupidini pro cupido.

— 161. l. 27. cepimus pro coepimus.

— 163. l. 19. sint pro sit; l. 34. et pro et et.

— 165. l. 6. externa pro interna, ut videtur.

— 166. l. 3. s. infringit pro infringunt; l. 5. agendi: lectio dubia; l. 6—8. in margine sinistra exstant; l. 19. suadeat pro suadet; l. 29. et semideletum est.

— 167. l. 15. turma: lectio dubia; l. 26. ante etiam delevi et, et substitui comma.

— 169. l. 15. statuum, nisi legeris status.

— 170. l. 14. qua pro quam; l. 16. illum pro illam; l. 26. s. regatur ... accendatur ... praestet pro regitur ... accenditur ... praestat.

— 172. l. 16. idearum pro ideas, ut videtur; l. 18. sit pro sint.

— 173. l. 11. qui pro quae; l. 12. subjecti pro subjectae; l. 22. patiatur pro patitur; l. 24. quam pro sed.

— 174. l. 19. post mens semideletum est ut; l. 36. se subjicit pro sibi subjicere.

— 175. l. 18. s. et puriora velimus in mentem revocare, quod impossibile sit pro et quod impossibile sit puriora velimus in mentem revocare.

— 176. l. 3. velint pro velit; l. 18. quo pro qua; l. 23. qui pro quae; l. 25. liber pro libera.

— 177. l. 5. quae pro qui; l. 23. deprimi pro depirni; l. 32. s. saeviendi ... spoliandi ... vivendi ...

affectandi pro saevire ... spoliare ... vivere ... affectare.

Pag. 178. l. 1. s. poenas pro poenae; l. 19. fides haec pro fidem hanc; l. 24. nec pro ne; l. 37. non pro se non.

— 180. l. 17. sensit pro sentit, ut videtur.

— 181. l. 10. ortum, nisi legeris ictum.

— 183. l. 25. habeat pro habet; l. 27. habeant pro habent; l. 28. gerant pro gerunt.

— 184. l. 4. vix: lectio dubia; l. 16. synthetica pro analytica; l. 30. hi pro hae.

— 185. l. 19. involuntarium pro involutarium; l. 23. sed pro tum.

— 186. l. 9. tanquam pro tam; l. 21. 23. 24. agat pro agit.

— 187. l. 4. s. aliquam pro aliquem; l. 13. verum pro veram, nisi legeris unum; l. 18. essentialia pro essentiali; l. 29. solis, nisi legeris satis.

— 188. l. 5. sic, nisi legeris seu vel sed; l. 37. possit pro potest.

— 189. l. 21. posss pro poss.

— 190. l. 2. sint pro sunt; l. 5. copulata pro copula; l. 32. odisse pro odi.

— 191. l. 4. ipsis pro ipsi.

— 192. l. 25. Juda inspiratus pro Judae inspirats; l. 26. infinita pro infinitae.

— 193. l. 16. comoedi pro commaedi; l. 20. nos pro nos nos; l. 21. tandem amici pro landem anici; l. 21. s. fratres: lectio dubia.

— 194. l. 26. virtuti pro virtut; l. 27. quod pro quod sit.

— 195. l. 11. repugnant pro repugnantur; l. 13. ipsae, nisi legeris ipsi; l. 3 infr. cruciatus, nisi legeris cruciatum.

— 196. l. 28. concludere pro concludee; l. ead. quod est pro est est; l. 31. penetraverat, nisi legeris penetraverit.

— 197. l. 1. dialectica pro dialecta; l. 30. ab pro ab ab; l. 2 infr. ascendatur: legerim ascendant.

— 198. l. 23. quoties, nisi legeris quatenus.

Pag. 199. l. 10. sociis, nisi legeris succis; l. 11. dependent pro dependet; l. 16. nutrice pro urtrice; l. 35. et inde pro est unde, ut videtur.

— 200. l. 8. isti pro isto; l. 27. trahit pro trahunt; l. 37. nimius leviscule deletum est.

— 201. l. 8. catarrhis pro catharris; l. 11. ut pro et; l. 12. scirrhi pro schirri.

— 202. l. 15. profluant pro profluunt; l. 25. et purum odium pro et purum odium, et purum odium; l. 37. s. discernere pro discerne; l. ult. quod pro quia, ut videtur.

— 203. l. 4. Amor entis supra se ipsum pro Amor entis supra seipsum. Amor entis supra seipsum; l. 7. ducit pro duci.

— 204. l. 22. principaliter pro principalite, ut videtur.

— 205. l. 18. anima pro anina vel ama; l. ead. vita: lectio dubia; l. 20. sit pro sint; l. 31. exempli pro exepli; l. 32. nilum pro nilus.

— 208. l. 15. infinito pro infinitum; l. 27. naturalia pro naturali.

— 209. l. 21. sibi pro sui.

— 210. l. 3. genuinus pro genuis; l. 4. ante veneris exstat cujusdam vel alia vox lectu difficilis.

— 211. l. 1 infra. nitens pro nideas vel videas.

— 212. l. 3 infr. infernarum pro infernistarum, vel aliud; l. 2 infr. debeas pro debes; l. 1 infr. alterutrius pro aliuuts, vel aliud.

— 213. l. 19. voluptatum pro voluptat.

— 214. l. 1. imperfectius pro imperfects vel imperfecti; l. 2. alterius pro allers, ut videtur.

— 215. l. 8. singulas pro singula; l. 2 infr. formam pro forma.

— 216. l. 19. vasculo pro vasulo; l. 25. olfactus pro olfus, ut videtur; l. 1 infr. secundum suum pro secud sue, ut videtur.

— 218. l. 4. ante menti delevi et, ut cum deletis cohaerens; l. 18. perque pro perque [quod semideletum] per.

— 219. l. 3. quoties, nisi legeris quatenus.

Pag. 220. l. 16. videntur pro videtur; l. 30. tum, nisi legeris tunc.

— 221. l. 7. Inclinatio pro Inclinatio et; l. 12. et pro et et; l. 20. regnant pro regnat.

— 222. l. ult. serium pro ferium.

— 223. l. 14. s. exprimendis mutationibus pro exprimndi mutationes; l. 22. aut pro nnde, ut videtur; l. 26. mitioreque, nisi legeris melioreque; l. 27. ramentoso: lectio dubia; l. ead. puriori, nisi legeris sicciori; l. 28. sicciori: lectio dubia; l. 32. praeceps pro prae est vel prae quam.

— 224. l. 4. animus pro anis vel avis; l. 16. ad pro ab; l. 17. s. arctissime pro articissime; l. 30. munia quibus pro munium quud, ut videtur.

— 225. l. 5 infr. lentius pro lentis.

— 227. l. 2. si pro et si.

— 228. l. 26. qua pro quo; l. 28. ipsa pro ipsae.

— 229. l. 12. reddat pro reddant; l. 18. seu mortale pro et seu mortalis; l. 19. immortalis sit [non] pro non mortalis sit, ut videtur; l. 22. quia pro qui; l. 30. s. inest infinitum ... nequit pro inst infinit ... nequi; l. 32. ab inconstanti pro a constanti.

— 230. l. 5. igne pro ignie, ut videtur; l. 12. locum ordinemque: lectio dubia; l. 15. obtuse pro obtufe; l. 22. quod pro quae; l. 33. constituunt pro constunt.

— 231. l. 3. ut pro et; l. 7. ut pro ne.

— 233. l. 14. papilionem pro vespertilionem.

— 235. l. 7. quod pro quae.

— 236. l. 17. dum pro quare dum; l. 21. mutam, nisi legeris mutuam.

— 237. l. 3. pertinet pro pertinets, ut videtur; l. 15. reviviscit pro rediviscit.

— 238. l. 15. induturi pro induituri; l. 17. sunt pro sint, ut videtur.

— 239. l. 7. carpere pro carpera; l. 10. ea pro eo; l. 22. ita, nisi legeris etiam.

— 240. l. 14. quoad pro quoad ad; l. 29. s. intelligentiam pro intelligentia; l. 33. divinam pro di-

vinam ei; l. ult. et seq. rationalis ... potest pro rat ... potest, ut videtur.

Pag. 245. l. 7. possunt pro potest; l. 11. ea pro eo; l. 12. peraguntur pro peragitur; l. 14. nonne pro no —; l. 3 infr. absque pro non absque.

— 246. l. 17. qui pro quae.

— 247. l. 18. vivere enim semideletum est.

— 248. l. 19. nequeat pro nequit; l. 23. aheno: sic!; l. 25. instructa pro instructs; l. 28. Erinnyes pro Erynides; l. 3 infr. invidi pro invidus.

— 249. l. 3. possit pro potst; l. 10. sequitur pro sequtur; l. 14. erga pro enga, ut videtur; l. 21. praeterea pro praeter, ut videtur; l. 22. disjunctae pro disjuncti; l. 25. ipsae se ipsas pro ipsi se ipsos: l. 30. s. Erinnyes pro Erynides; l. ult. insanit pro insinit.

— 250. l. 5. subsistit pro subsistat; l. 27. naturae pro natura; l. 30. relaberentur pro relaberetur; l. 31. omnisciens, omnipotens pro omniscis, omnipotns; l. 33. universum pro univers; l. 34. et pro e.

— 251. l. 11. pro axiomatibus lege axiomatis.

— 252. l. 18. ducit pro profluit; l. 24. arborem pro arbores.

— 253. l. 5 infr. alteri pro altei, ut videtur; l. ult. politicis pro politis.

— 255. l. 7. Locke pro Lock; l. 8. lesquelles pro qui; l. 11. decouvrir, il s'en suit de là pro decouvrir. Il' s'ensuit de la; l. 12. pourrons pro pouvons; l. 13. jusques-la pro jusque la; l. 14. sur pro sure; l. 17. 28. homme pro home; l. 19. s. demontrées pro demontré; l. 24. vues jusqu' pro vu jusqe; l. 28. s. s'employer pro emplojer; l. 30. moyens pro mojens; l. 31. l'application ... l'industrie pro application ... industrie; l. ead. employent pro emplojent; l. 33. declarés pro déclarez; l. 34. interêts pro interests; l. ult. raisonnement ... pro reasonnement.

— 256. l. 1. 2. aucune pro aucun; l. 3. toute pro toute la; l. 5. hommes pro homes; l. 7. desquelles pro

desquels; l. ead. raison pro reason; l. 8. bornée pro borne; l. ead. ayant pro ajant; l. 9. rayons pro rajons.

com. pro comm. p. 238. l. 25.; p. 252. l. 25.

crystall. pro chrystall. p. 44. l. 11. 18. 19. 23.; p. 47. l. 18. 20. 31.

parallelism. pro paralelism. p. 183. l. 35.

Adjeci p. 6. l. 17. [a]; p. 8. l. 28. [constare]; p. 12. l. 29. [sibi]; p. 23. l. 11. [ut]; p. 25. l. 1 infr. [concernit]; p. 37. l. 32. [quae]; p. 44. l. 37. [est]; p. 46. l. 5 infr. [constat:]; p. 54. l. 36. [transeat]; p. 57. l. 22. [et]; p. 58. l. 27. [cuivis]; p. 70. l. 3. [,sed]; p. 76. l. 33. [sunt]; p. 132. l. 30. [in]; p. 137. l. 2 infr. [sint]; p. 139. l. 26. [a]; l. 30. [ab]; p. 144. l. 33. [et]; p. 145. l. 20. [dicimus]; p. 151. l. 7 infr. [non]; p. 152. l. 14. [determinamus]; l. 15. [quam]; p. 163. l. 34. [applicat,]; p. 175. l. 34. [ea]; p. 179. l. 1. [ad]; p. 185. l. 19. [potest]; p. 198. l. 24. [quod]; p. 200. l. 8. [quam]; p. 201. l. 12. s. [possunt]; p. 216. l. 25. [fertur]; l. 11. [et]; p. 218. l. 11. [et]; p. 229. l. 1. s. [,mutatur,]; l. 19. [non]; p. 240. l. 10. [intellectoria et organa disponuntur]; p. 243. l. 22. [Hic est lacuna: — felicium] ...; p. 246. l. 15. [quicquid]; l. 24. [delitias]; p. 248. l. ult. [se]; p. 254. l. 22. [Deus]; l. 28. s. [Vide locos — 213.]; l. 30. [Ibid. — 6487.]; l. 31 — 34. [Ibid. — 276.]; l. 35 — 38. [Arc. coel. — 805.]; p. 255. l. 1 — 5. [Diar. — 276.]; l. 20. [§. 8.]; l. 25. [§. 4.]; l. 27. [portée]; l. 34. [§. 6.]; l. 36. ...; p. 256. l. 3. ...; l. 6. [échappent]; l. 10. [§. 14.]; l. 2 infr. [et], et alibi.

Punctum delevi p. 213. l. 19. ante voluntatum.

— fixi p. 44. l. 23. post cingens; p. 89. l. 23. post afficitur; p. 229. l. 13. post concreata.

— fixi loco coli p. 36. l. 17. ante Ipsa; p. 81. l. 26. ante Per; p. 129. l. 12. ante Et; p. 240. l. ult. ante Ergo.

Colon fixi p. 34. l. 20. post licet; p. 109. l. 2. ante id; p. 195. l. ante quum; p. 203. l. 10. post est.

— — loco puncti p. 46. l. 4. post possumus; p. 53. l. 7.

post communi; p. 139. l. 24. post animi; p. 188. l. 3. post Actionem.

— — loco semicoli p. 255. l. 14. ante et.

— — loco commatis p. 197. l. 22. post temnunt; p. 209. l. 25. ante si; p. 237. l. 3. ante est.

Semicolon adjeci p. 63. l. 6 infr. post illa; p. 76. l. 16. post picturam; p. 217. 19. ante hinc.

Semicolon posui loco puncti p. 43. l. 16. ante sed; p. 44. l. 5. post lamella; p. 165. l. 31. ante et; p. 223. l. 28. ante phlegmaticus.

Semicolon posui loco commatis p. 32. l. 9. post trahit; p. 47. l. 17. ante ex; p. 49. l. 6 infr. ante quod; p. 74. l. 27. ante ex; p. 75. l. 22. ante ex; p. 78. l. 3. post aure; l. 8. post naturalem; p. 84. l. 13. post forma; p. 114. l. 32. post originem; p. 128. l. ult. post mali; p. 135. l. 13. post finium; p. 148. l. 8. ante et; p. 150. l. 16. ante ita; p. 153. l. 10. 15. ante quis; p. 157. l. 11. post externa; l. 21. post sapientiam; p. 159. l. 1. ante id; p. 163. l. 18. ante ab; p. 182. l. 23. post diversitas; p. 203. l. 22. ante sed; p. 205. l. 6. post Deum; p. 205. l. 21. ante sunt; p. 206. l. 26. post ipsius; p. 218. l. 21. ante per; p. 250. l. 9. ante sed.

Comma delevi p. 15. l. 5. ante cum; p. 29. l. 11. ante buccae; p. 69. l. 3 infr. ante et; p. 109. l. 8. post ejus; p. 152. l. 29. post mente; p. 171. l. 19. post appercipere; p. 182. l. 32. ante sit; p. 183. l. 22. post cupiditatis; p. 201. l. 3 infr. post queunt; p. 209. l. 20. post fluit; p. 216. l. 23. post viam; p. 255. l. 29. ante et.

Comma adjeci p. 5. l. ult. post est, p. 9. l. 5. post cerebro; p. 13. l. 17. ante sed; l. 21. post sit; p. 15. l. 11. post actione; l. 3 infr. ante sed; p. 16. l. 4. post cogitationem; p. 17. l. 23. post actrix; p. 22. l. 7 infr. post laedunt; p. 24. l. 4. ante seu; p. 25. l. 5. post quadam; l. 27. post omnes; l. 33. ante ut, et post ungues; p. 28. l. 21. post patitur; p. 32. l. 19. post partium; p. 33. l. 3. ante seu; l. 8 infr. ante totam; p. 34. l. 8. ante non; p. 36. l. 2 infr. ante quod; p. 39. l. 22. ante unam; p. 45. l. 21. dicatis; l. 34. post anima; p. 47. l. 3. ante eo; p. 50. l. 13. ante sed; l. 14.

ante non; p. 51. l. 33. post externo; p. 52. l. 15. ante imo; p. 53. l. ult. ante sed; p. 54. l. 12. ante ut; l. 24. 25. ante quae; l. 24. 25. ante est; l. 35. post potest; p. 55. l. 1. ante sed; l. 5. ante quae non, et post memoriae; l. 9. ante quanta; p. 58. l. 17. post substantiae; l. 21. ante sed; p. 59. l. 11. ante nihil; l. 19. ante non; l. 30. ante quales; p. 60. l. 6. post sublimioris; l. 8. ante sed; l. 21. 23. ante qui; l. 31. post forma; p. 64. l. 1. 21. ante sed; l. 31. ante est; l. 34. post quaeritur; p. 65. l. 8. post contremiscentiae; l. 18. post infra; l. 27. et p. 66. l. 4. ante quid; p. 66. l. 19. post ea; l. 22. post intuendis; l. 29. 30. ante quae; p. 67. l. 5. ante quo; l. 16. ante ut; l. 20. ante quia; l. 22. ante quibus; p. 68. l. 3. ante inter; l. 16. ante qui; p. 69. l. 13. post eligere; p. 70. l. 2. ante quae; l. 9. ante quia; l. 20. post rationales; p. 73. l. 9. ante qui; l. 25. ante sed; l. 38. post status; p. 74. l. 18. ante sed; l. 23. ante quae; p. 75. l. 4. ante nisi; l. 14. post corpore; l. ult. post ludat; p. 76. l. 16. post villam; l. 26. ante non et ante sed; p. 77. l. 8. s. 10. 19. s. 37. ante sed; l. 13. ante se; l. 15. ante inter; p. 78. l. 14. post brutis; l. 16. post sunt; p. 79. l. 8. ante quid; l. 9. ante quae; l. 28. ante patet; p. 80. l. 4. post illud; l. 14. ante quid; l. 21. 24. post id; l. 25. ante quod; p. 81. l. 12. post est; p. 83. l. 1. post ratio; l. 5. post producendam; l. 25. post judicat; l. 31. ante quod; p. 84. l. 1 infr. ante et; p. 85. l. 11. post formae; l. 24. ante dicitur; p. 86. l. 34. ante non; l. 35. ante sed; p. 89. l. 26. ante ita; p. 96. l. 30. ante ut; l. 36. ante sed; p. 98. l. 4. ante ut; l. 10. ante per; p. 101. l. 27. post agens; l. 37. post amore; p. 102. l. 6. post amor; p. 103. l. 12. et p. 105. l. 15. ante sed; l. 31. ante radices; p. 106. l. 15. ante sed; p. 107. l. 17. ante cujus; p. 108. l. 4. ante sed; l. 21. post insaniae; l. 29. ante struere; p. 109. l. 1. post nominis; l. 23. ante imo; l. 24. ante quod; l. 34. post caeteris; p. 110. l. 2. post sui; p. 111. l. 7. 22. et p. 114. l. 2. ante sed; p. 114. l. 29. post virtus; l. 33. post animi, et post mentis; l. 34. ante sed; p.

115. l. 3. ante non; p. 116. l. 20. post alium; l. 37. post enim et ante est; p. 120. l. 5. post se; l. 16. post odio; l. 18. post acquiritur; l. 26. ante quo; p. 121. l. 24. ante sed; p. 122. l. 9. post facit; l. 10. post se; p. 126. l. 20. ante talis; p. 128. l. 8. post novae; l. 22. post fines; l. 26. ante non; p. 130. l. 30. ante non; p. 131. l. 16. post crudelitas; l. 30. post vindicta; p. 132. l. 10. ante sed; l. 23. ante non; p. 137. l. 21. ante id; p. 138. l. 17. post auditus; p. 139. l. 8. ante alter; l. 30. post floribus; p. 141. l. 1. ante ita; p. 142. l. 32. post agendum; p. 144. l. 6. post nostra; l. 34. post proprium; p. 146. l. 36. ante non; p. 147. l. 20. post mens; p. 148. l. 19. post applicet; p. 149. l. 21. 22. 37. ante sed; p. 150. l. 12. ante et; l. 25. ante sed; p. 151. l. 5. post ultimus; p. 152. l. 12. post theologicam; p. 153. l. 26. ante non; p. 155. l. 4. post idea; l. 28. ante id; l. 32. ante ita; l. ult. ante in; p. 157. l. 13. post influat; l. 25. ante nec; l. 36. ante sed; p. 158. l. 29. post statum; p. 161. l. 30. ante sic; p. 162. l. 22. ante id; l. 35. post mente; p. 163. l. 6. ante ita; p. 165. l. 4. post facie; p. 166. l. 10. post immortalis; p. 167. l. 4. post collidimus; l. 26. ante etiam; l. 32. ante talis; p. 168. l. 30. post boni; p. 171. l. 6. ante vix; l. 20. post licet; l. 31. ante sed; p. 173. l. 19. ante non; l. 22. ante id; p. 174. l. 33. post debet; p. 176. l. 7. post ordo; p. 178. l. 12. post perfectius; l. 30. ante rimamur; p. 180. l. 22. ante sed; p. 184. l. 34. ante tot; l. 35. post ut; l. 36. post voces; p. 184. l. 3. ante et; p. 187. l. 8. ante ac; l. 20. ante sed; l. 21. post Amare; l. 33. 33. ante talis; p. 188. l. 5. ante sed; l. 27. ante tunc; p. 190. l. 18. post corpore; p. 192. l. 20. post mala; p. 193. l. 33. post mentis; p. 194. l. 14. post ultimum; p. 195. l. 2 infr. ante ne; p. 197. l. 30. post vitae; p. 199. l. 6. ante quod; l. 26. post iis; p. 201. l. 23. 31. post sciamus; p. 202. l. 7. ante quae; l. 8. ante quod; l. 18. post enim et post malus; l. 23. post id; l. 28. post falsum; l. 32. ante quod; p. 203. l. 24. post sit; p. 205. l. 24. ante non; l. 25. ante in; l. 28. ante si; p. 206. l. 3. post hic;

l. 3. 20. post est; l. 25. post Dei; l. 29. post major; p. 207. l. 14. post aliorum; p. 209. l. 26. ante tunc; l. 27. post sui; p. 211. l. 3 infr. post zelo; p. 213. l. 2 infr. ante est; p. 217. l. 3 ante num; l. 8. ante ac; l. 10. ante quod; p. 219. l. 6. ante si; l. 16. post haec; l. 19. post anima; p. 220. l. 11. post sit; p. 223. l. 32. post vero; l. 33. post externas; p. 224. l. 7. post forma; p. 229. l. 24. post attingi et post illis; l. 25. post id; l. 26. post iis; p. 236. l. 9. ante eo; p. 240. l. 4. ante cutem; p. 243. l. 17. post effectu; p. 250. l. 4 infr. post nexu; p. 252. l. 24. ante Adamum; p. 254. l. 26. post Praedestinatione; p. 255. l. 15. ante on; p. 257. l. 14. ante ab.

Comma posui loco puncti p. 51. l. 7. post sint; p. 141. l. 17. ante sed; p. 254. l. 16. post inest.

— posui loco coli p. 79. l. 11. ante ipsum; p. 138. l. 11. ante at.

— posui loco semicoli p. 1. l. 12. post corticali; p. 50. l. 2. post plagae; p. 59. l. 34. ante vel; p. 76. l. 5. ante ut; p. 95. l. 16. ante id; p. 138. l. 19. ante talis; p. 142. l. 20. ante et; p. 202. l. 6. post anima; p. 205. l. 26. ante et; p. 214. l. 6. post amamus; p. 226. l. 8. post est; p. 249. l. 4 infr. post esse; p. 250. l. 5. ante et.

ERRATA ET EMENDANDA.

Pag. 78. l. 3. pro oculos lege vultus.

— 81. l. 27. [in quibusdam exemplis] pro seu l. ceu.

— 83. l. 16. pro qmomodo l. quomodo.

— 171. l. 3 infr. reposta: sic! sed legendum est repostus.

— 183. l. 9 infr. pro intelligmus l. intelligimus.

— 191. l. 22. quae: sic! sed legendum est qui.

— 230. l. 10. pro volatissimarum l. volatilissimarum.

— 239. l. 3. pro assumerit l. assumeret.

January, 1846.

SWEDENBORG'S THEOLOGICAL WORKS.

BOOKS PUBLISHED BY THE SOCIETY FOR PRINTING AND PUBLISHING THE WRITINGS OF THE HON. EMANUEL SWEDENBORG, INSTITUTED IN LONDON IN 1810,

AND SOLD AT THEIR DEPOSITORY BY

WILLIAM NEWBERY,

No. 6, KING STREET, HOLBORN.

ENGLISH EDITIONS.

THE FOUR LEADING DOCTRINES OF THE NEW CHURCH, signified in Revelation xxi. by the New Jerusalem; being those respecting the LORD, His Divine and Human Natures, and the Divine Trinity: the SACRED SCRIPTURE; FAITH; and LIFE. With an Introductory Preface, and an Account of the Author. Royal 8vo., 6*s.* 6*d.*; demy, 4*s.* 6*d.*; foolscap, 3*s.*

Each of the above Doctrines may be had separate, namely,

THE DOCTRINE OF THE NEW JERUSALEM RESPECTING THE LORD: to which is added, Nine Questions on the Trinity, with their Answers. Royal 8vo., 2*s.*; demy, 1*s.* 6*d.*

THE DOCTRINE OF THE NEW JERUSALEM RESPECTING THE SACRED SCRIPTURE. Royal 8vo., 2*s.*; demy, 1*s.*

THE DOCTRINE OF THE NEW JERUSALEM RESPECTING FAITH. Demy 8vo., 6*d.*

THE DOCTRINE OF LIFE FOR THE NEW JERUSALEM, from the Commandments of the Decalogue. Royal 8vo., 1*s.* 6*d.*; demy, 1*s.*

ON THE NEW JERUSALEM AND ITS HEAVENLY DOCTRINE, as revealed from Heaven; to which are prefixed some Observations concerning the New Heaven and the New Earth. Demy 8vo., 1*s.* 8*d.*

THE SAME WORK, without the Extracts from the Arcana Cœlestia. Royal 8vo., 1*s.* 6*d.*

A BRIEF EXPOSITION OF THE DOCTRINE OF THE NEW CHURCH, which is meant by the New Jerusalem in the Apocalypse. Royal 8vo., 1*s.* 6*d.*; demy, 1*s.*

THE TRUE CHRISTIAN RELIGION; or, the Universal Theology of the New Church, foretold by the Lord in Daniel vii. 13, 14; and in the Apocalypse, xxi., 1, 2. Demy 8vo., 8s.

THE CORONIS OR APPENDIX TO THE TRUE CHRISTIAN RELIGION, treating of the four Churches on this Earth since the Creation of the World; with a brief Continuation. Demy 8vo., 1*s*.

INDEX OF SUBJECTS AND PASSAGES OF SCRIPTURE in the True Christian Religion. Demy 8vo., 6*d*.

ARCANA CŒLESTIA: the HEAVENLY ARCANA which are contained in the Holy Scriptures, or Word of the Lord, unfolded; beginning with the Book of Genesis: together with Wonderful Things seen in the World of Spirits and in the Heaven of Angels. With INDEX. Thirteen vols., demy 8vo., £3 18*s*.

The Index, or any other volume, separate, 6s.

INDEX TO THE ARCANA CŒLESTIA, in Two Parts. 1. Of Words, Names, and Subjects. 2. Of Passages of Scripture. Demy 8vo., 6*s*.

(This is the Index alluded to above.)

THE APOCALYPSE REVEALED; in which are disclosed the Arcana therein foretold, and which have hitherto remained concealed. With INDEX. Two vols., royal 8vo., £1 1*s*.; demy, 12*s*.

INDEX TO THE APOCALYPSE REVEALED. In Three Parts. 1. Of Words, Names, and Things. 2. Of Memorable Relations. 3. Of Passages of Scripture. Demy 8vo., 2*s*.

(This is the Index alluded to above.)

THE APOCALYPSE EXPLAINED according to the Spiritual Sense, in which are revealed [more fully than in the preceding Work] the Arcana which are there predicted, and have been hitherto deeply concealed. With INDEX. Six vols., demy 8vo., £1 16*s*.

Any volume separate, 6s.

INDEX TO THE APOCALYPSE EXPLAINED. Demy 8vo., 3*s*.

(This is the Index alluded to above.)

A SUMMARY EXPOSITION OF THE INTERNAL SENSE of the Prophetic Books of the Old Testament and of the Psalms of David. With a twofold INDEX. Demy 8vo., 1*s*. 6*d*.

ON THE WHITE HORSE, mentioned in the Apocalypse, chap. xix., with References from the Arcana Cœlestia on the subject of the Word, and its Spiritual or Internal Sense. With an APPENDIX. Demy 8vo., 6*d*.

ON THE DIVINE LOVE AND THE DIVINE WISDOM. (Extracted from the Apocalypse Explained.) Demy 8vo., 1*s*.

ANGELIC WISDOM CONCERNING THE DIVINE LOVE AND THE DIVINE WISDOM. Royal 8vo., 4*s*. 6*d*.; demy, 2*s*. 6*d*.; sewed, 2*s*.

ANGELIC WISDOM CONCERNING the DIVINE PROVIDENCE. Royal 8vo., 6*s*.; demy, 4*s*.

THE DELIGHTS OF WISDOM CONCERNING CONJUGIAL LOVE: after which follow, the Pleasures of Insanity concerning Scortatory Love. Demy 8vo., 5*s*.

THE INTERCOURSE BETWEEN THE SOUL AND THE BODY, which is supposed to take place either by Physical Influx, or by Spiritual Influx, or by Pre-established Harmony. Demy 8vo., 6*d*.; foolscap, 4*d*.

CONCERNING HEAVEN AND ITS WONDERS, and concerning HELL, being a Relation of Things heard and seen. Royal 8vo., 8*s.*; demy, 4*s.*

ON THE EARTHS IN OUR SOLAR SYSTEM, which are called Planets; and on the Earths in the Starry Heavens: with an Account of their Inhabitants, and also of the Spirits and Angels there; from what has been heard and seen. Demy 8vo., 1*s.*

AN ACCOUNT OF THE LAST JUDGMENT and the DESTRUCTION OF BABYLON: shewing that all the Predictions in the Apocalypse are at this day fulfilled: being a Relation of Things heard and seen. To which is added, a Continuation concerning the Last Judgment and the Spiritual World. Demy 8vo., 1*s.*

FRENCH EDITIONS,

By M. le Boys des Guays.

ARCANES CELESTES de l'Ecriture Sainte ou Parole du Seigneur dévoilés, ainsi que les merveilles qui ont été vues dans le monde des esprits et dans le ciel des anges. Tomes I. and II., 8*s.* each.

L'APOCALYPSE DANS SON SENS SPIRITUEL, d'après l'Apocalypse Révélée et l'Apocalypse Expliquée, d'Emmanuel Swedenborg, &c. 8*s.*

DOCTRINE DE LA NOUVELLE JERUSALEM SUR LE SEIGNEUR. 2*s.*

DOCTRINE DE LA NOUVELLE JERUSALEM SUR L'ECRITURE SAINTE. 3*s.*

DOCTRINE DE VIE POUR LE NOUVELLE JERUSALEM, d'après les Préceptes du Décalogue. 2*s.*

DU DIVIN AMOUR ET DE LA DIVINE SAGESSE, (Ouvrage Posthume.) 3*s.*

DU CHEVAL BLANC dont il est parlé dans l'Apocalypse, chap. xix. 8*d.*

WELCH EDITION.

TRAETHAWD YNGHYLCH CAERSALEM NEWYDD, A'I HATHRAWIAETH NEFAWL, fel y datguddiwyd hi o'r Nef: ynghyd a rhai sylwiadau ynghylch y Nef Newydd ar Ddaear Newydd. Demy 8vo., 1*s.*

The above Works are translations from the Latin, except the Indexes to the Apocalypse Explained and True Christian Religion; and the French work on the Apocalypse.

LATIN EDITIONS, IN QUARTO.

APOCALYPSIS EXPLICATA SECUNDUM SENSUM SPIRITUALEM; ubi revelantur Arcana, quæ ibi prædicta, et hactenus ignota fuerunt. Ex Operibus posthumis Emanuelis Swedenborgii. Vols. 3 and 4, each 10*s.*

APOCALYPSIS REVELATA in quâ deteguntur arcana quæ ibi prædicta sunt, et hactenus recondita latuerunt. 10*s.*

INDEX RERUM IN APOCALYPSI REVELATA. Ex operibus posthumis Emanuelis Swedenborgii. 3*s.*

INDEX VERBORUM, NOMINUM ET RERUM IN ARCANIS CŒLESTIBUS. Ex operibus posthumis Emanuelis Swedenborgii. 8*s.*

DE NOVA HIEROSOLYMA et ejus Doctrinâ Cœlesti: ex auditis e Cœlo. Quibus præmittitur aliquid de novo Cœlo et Novâ Terrâ. 4*s.*

DE ULTIMO JUDICIO, ET DE BABYLONIA DESTRUCTA: ita quod omnia, quæ in Apocalypsi prædicta sunt, hodie impleta sint. Ex Auditis et Visis. 2*s.*

QUÆSTIONES NOVEM DE TRINITATE, &c. Ad Emanuelem Swedenborg propositæ a Thoma Hartley; tum illius Responsa. 6*d.*

LATIN EDITIONS, IN OCTAVO.

DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO. 2*s.*

DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA. 2*s.*

DOCTRINA VITÆ PRO NOVA HIEROSOLYMA ex Præceptis Decalogi: et DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE FIDE. 2*s.*

DE DOMINO ET DE ATHANASII SYMBOLO. Opus Posthumum. 1*s.*

DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE CHARITATE. Opus Posthumum. 1*s.*

CANONES, SEU INTEGRA THEOLOGIA, NOVÆ ECCLESIÆ. De Deo Uno et Infinito. De Domino Redemptore: et de Redemptione. De Spiritu Sancto. De Divinâ Trinitate. Opus Posthumum. 1*s.*

Dr. Tafel's Editions.

ARCANA CŒLESTIA quæ in Scriptura Sacra seu Verbo Domini sunt, detecta: una cum Mirabilibus quæ visa sunt in mundo spirituum et in cœlo angelorum. 13 vols., 10*s.* each.

THE SAME WORK, on inferior paper, each vol. 8*s.*

SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DE DIVINA SAPIENTIA. 4*s.*

DE COMMERCIO ANIMÆ ET CORPORIS, quod creditur fieri vel per influxum physicum, vel per influxum spiritualem, vel per harmoniam præstabilitam. 1*s.*

DIARIUM SPIRITUALE. E Chirographo Auctoris in Bibliothecâ Regiæ Academiæ Holmiensis asservato.

Pars I. Vol. I.	12*s.*	Pars IV.	4*s.*
——— Vol. II.	18*s.*	——— V.	4*s.*
Pars II. ———	11*s.*	——— VI., continens Indicem Partium II.—IV.	4*s.*
Pars III. Vol. I. & II.	£1.		

ADVERSARIA IN LIBROS VETERIS TESTAMENTI. Ex operibus Auctoris posthumis in Bibliothecâ Regiæ Academiæ Holmiensis asservatis. Fasc. 1, 2, 3, 4. 2*s.* 6*d.* each.

DICTA PROBANTIA Veteris et Novi Testamenti collecta et breviter explicata. E Chirographo in Bibliothecâ Regiæ Academiæ Holmiensis asservato. 4*s.*

Reports of the Society's proceedings may be had gratis *of the Publisher, W. Newbery, 6, King Street, Holborn.*

WALTON AND MITCHELL, PRINTERS, WARDOUR STREET, LONDON.

October, 1847.

PHILOSOPHICAL AND SCIENTIFIC WORKS OF SWEDENBORG,

ETC., ETC.,

PUBLISHED BY THE

SWEDENBORG ASSOCIATION,

And sold by WILLIAM NEWBERY, 6, King Street, Holborn; and OTIS CLAPP, School Street, Boston, United States.

SOME SPECIMENS OF A WORK

ON THE

PRINCIPLES OF CHEMISTRY,

WITH OTHER TREATISES.

Translated from the Latin, with Introductory Remarks, Bibliographical Notices, Index, &c., by CHARLES EDWARD STRUTT, Member of the Royal College of Surgeons of Edinburgh.

And Dedicated, by permission, to the Baron Berzelius, perpetual Secretary to the Royal Academy of Sciences of Stockholm.

One Vol., 8vo., 21 Plates comprising 159 Figures, 12s.

This Work contains also New Observations and Discoveries respecting Iron and Fire, and particularly respecting the Elemental Nature of Fire: together with a New Construction of Stoves. And a New Method of Finding the Longitude of Places, on Land or at Sea, by Lunar Observations.

MISCELLANEOUS OBSERVATIONS

CONNECTED WITH THE PHYSICAL SCIENCES.

WITH AN APPENDIX,

Containing Swedenborg's Papers from the *Acta Literaria Sveciæ.*

Translated from the Latin, with Introductory Remarks, Biographical Notices, and Index of Subjects, by CHARLES EDWARD STRUTT.

One Vol., 8vo., 9 Plates comprising 86 Figures, 7s. 6d.

OUTLINES OF A PHILOSOPHICAL ARGUMENT

ON THE

INFINITE,

AND THE FINAL CAUSE OF CREATION;

AND ON THE INTERCOURSE BETWEEN THE SOUL AND THE BODY.

Translated from the Latin, with Introductory Remarks and Index, by JAMES JOHN GARTH WILKINSON, Member of the Royal College of Surgeons of London.

One Vol., 8vo., 6s.

THE PRINCIPIA;

OR, THE FIRST PRINCIPLES OF NATURAL THINGS;

BEING NEW ATTEMPTS TOWARD A PHILOSOPHICAL EXPLANATION OF THE ELEMENTARY WORLD.

Translated from the Latin, with Introductory Remarks, Index, &c., by the Rev. AUGUSTUS CLISSOLD, A.M.

Two Vols., 8vo., £1 10s.; either Vol. separate, 15s.

THE ECONOMY OF THE ANIMAL KINGDOM,

CONSIDERED

ANATOMICALLY, PHYSICALLY, AND PHILOSOPHICALLY.

Translated from the Latin by the Rev. AUGUSTUS CLISSOLD, A.M. And edited, with Introductory Remarks, Indexes, Bibliographical Notices, &c., by JAMES JOHN GARTH WILKINSON, Member of the Royal College of Surgeons of London.

Two Vols., 8vo., £1 11s. 6d.; or Vol. I., 16s. 6d., Vol. II., 15s.

THE ANIMAL KINGDOM,

CONSIDERED

ANATOMICALLY, PHYSICALLY, AND PHILOSOPHICALLY.

Translated from the Latin, with Introductory Remarks, Indexes, Bibliographical Notices, &c., by JAMES JOHN GARTH WILKINSON.

Two Vols., 8vo., £1 18s.

(This Work is not published by the ASSOCIATION, but Mr. Newbery has purchased a few copies, which he has still on sale.)

POSTHUMOUS TRACTS.

Translated from the Latin by JAMES JOHN GARTH WILKINSON.

One Vol., 8vo., 5s.

This Work (which is a Translation of the *Opuscula* mentioned below) may also be had in three numbers, price each 1s. 6d., *sewed.*

A HIEROGLYPHIC KEY

TO NATURAL AND SPIRITUAL MYSTERIES

By way of Representations and Correspondences.

Translated from the Latin by JAMES JOHN GARTH WILKINSON.

Sewed, 2s.

ŒCONOMIA REGNI ANIMALIS

IN TRANSACTIONES DIVISA,

Quarum hæc Tertia de Fibra, de Tunica Arachnoidea, et de Morbis Fibrarum agit: anatomice, physice et philosophice perlustrata.

E chirographo in Bibliotheca Regiæ Academiæ Holmiensis asservato, nunc primum edidit JAC. JO. GARTH. WILKINSON, Reg. Coll. Chirurg. Lond. Memb.

One Vol., 8vo., price 15s.

OPUSCULA QUÆDAM ARGUMENTI PHILOSOPHICI.

Ex Autographo in Bibliotheca Regiæ Academiæ Holmiensis asservato, nunc primum edidit Jac. Jo. Garth. Wilkinson, Reg. Coll. Chirurg. Lond. Memb. One Vol., 8vo., price 5s.

CLAVIS HIEROGLYPHICA ARCANORUM NATURALIUM ET SPIRITUALIUM,

Per viam Repræsentationum et Correspondentiarum. Opus posthumum Eman. Swedenborgii. 4to. Editio Princeps. Price 4s. 6d., cloth boards.

LUDUS HELICONIUS,

Sive Carmina Miscellanea, quæ variis in locis cecinit Eman. Swedberg [Swedenborg]. Recensuit Dr. J. F. E Tafel. Price 2s. 6d. cloth boards.

ITINERARIUM,

Ex operibus Eman. Swedenborgii posthumis. Partes I., II. Nunc primum edidit Dr. J. F. E. Tafel. Price 4s. 6d. cloth boards.

CAMENA BOREA,

Cum heroum et heroidum factis ludens, sive Fabellæ Ovidianis similes, &c. Ab Eman. Swedberg [Swedenborg]. Edidit Dr. J. F. E. Tafel. Price 4s. 6d. cloth boards.

L. ANNÆI SENECÆ ET PUB. SYRI MIMI,

Forsan et aliorum selectæ Sententiæ. Quas notis illustratas edidit Emanuel Swedberg [Swedenborg]. Ad fidem rarissimæ editionis principis anni 1709 denuo publici juris fecit et Fragmenta nuper reperta adjecit Dr. J. F. E. Tafel. Price 2s. 6d. cloth boards.

PORTRAIT OF DR. J. F. E. TAFEL,

LIBRARIAN TO THE ROYAL UNIVERSITY OF TUBINGEN.

Price 5s.

SWEDENBORG'S BIOGRAPHY.

SAMMLUNG VON URKUNDEN BETREFFEND DAS LEBEN UND DEN CHARAKTER EMANUEL SWEDENBORG'S.

Von Dr. J. F. E. Tafel. Band I.—IV.; 8vo., 1839—1844. Price 12s.

Any of the foregoing works, excepting *The Animal Kingdom*, may be taken by the subscribers to the ASSOCIATION on account of their subscriptions.

In preparation:

I.

THE WORSHIP AND LOVE OF GOD;

PART I. On the Origin of the Earth, on the state of Paradise in the Vegetable and Animal Kingdoms, and on the Birth, Infancy, and Love of Adam, or the first-born Man.

PART II. On the Marriage of the First-born; and on the Soul, the Intellectual Mind, the state of Integrity, and the Image of God.

II.

SWEDENBORG'S LETTERS

TO BISHOP ERIC BENZELIUS.

The Association has received an attested Copy of these Letters (which will form an important addition to Swedenborg's Biography,) from the Gymnasium Library at Linköping in Sweden. They have been translated, and await the means of publication. For specimens of these Letters, see the *Intellectual Repository*, December, 1847.

III.

THE ECONOMY OF THE ANIMAL KINGDOM,

CONSIDERED

ANATOMICALLY, PHYSICALLY, AND PHILOSOPHICALLY;

Part III.

On the Fibre, the Arachnoid Membrane, and the Diseases of the Fibres.

From the Latin Work mentioned on page 3.

The Association proposes to publish and translate the following Manuscripts of Swedenborg as soon as it is furnished with the means.

1. A CONTINUATION OF THE ANIMAL KINGDOM, 241 pages folio.; (containing the Parts on the Senses and an Epilogue on Sensation, and directly taking up the subjects of the *Animal Kingdom.)*

2. PHYSIOLOGICA ET METAPHYSICA, 254 pages folio; (containing various Psychological and Ethical Parts, and in general exhibiting the Author's Mental and Moral Philosophy, and his Method, previous to the Year 1745: a most interesting MS., supplementary to the whole of the Works of the Association.)

3. A TREATISE ON GENERATION. (This Treatise is referred to in both the *Economy* and *Animal Kingdom*, and is necessary to supply its own place in the Author's system.)

4. TWO TREATISES ON THE EAR AND THE SENSE OF HEARING. (The same remark applies here also; there is nothing in the Author's published Works to supply his theory of this organ and sense.)

5. A TREATISE ON THE BRAIN, 1400 pages 4to.

6. THE PRINCIPLES OF NATURAL PHILOSOPHY, 4to., pp. 569. (This is the Treatise of which the Author published *Some Specimens:* see the Work on page 1. It is indispensable to complete his geometrical Theory of Chemistry and Physics.)

7. A TREATISE ON COMMON SALT, 4to., pp. 343. (This is an important Treatise, considering the remarkable position that the Theory of Salt occupies in the Author's views of nature.)

Copies of the ***Prospectus*** and ***Laws*** of the SWEDENBORG ASSOCIATION may be had on application to Mr. Newbery: the Prospectus, on enclosing two postage stamps; the Laws, on enclosing four.

Printed by WALTON and MITCHELL, 24, Wardour-street, Oxford-street, London.